





PROPRIUM ORDINIS PRÆDICATORUM

DOCUMENTA  
III

ORDO  
EXSEQUIARUM

ROMÆ  
AD S. SABINÆ 2008



## PRÆFATIO

FR. CAROLI ALPHONSI AZPIROZ COSTA O.P.

MAGISTRI ORDINIS PRÆDICATORUM

*Ordinem Unctionis infirmorum eorumque spiritualis curæ litteris die 29 aprilis 2001<sup>1</sup> ac Ordinem Exsequiarum litteris die 4 iunii eiusdem anni<sup>2</sup> datis, Fr. Timotheus Radcliffe, antecessor meus, promulgavit. Hæc duo volumina, utpote sectiones Ritualis Ordinis instaurati, illæ variae Commissiones et cœtus fratrum et sororum confecerunt, quæ Magistris Ordinis subinde iubentibus traditionem nostram liturgicam recensuerunt, una cum Commissionibus liturgicis nonnullarum Provinciarum Ordinis, ad instaurationem nostrorum usum liturgicorum ac regularium consequendam.*

Quos inter cœtus maxime recolenda videtur Commissio de Liturgia, “parva” seu “specialis” dicta, cui Fr. Alphonsus D’Amato præfuit: ipsa enim annis 1973-1974, iussu Fr. Aniceti Fernández, Magistri Ordinis, pro Capitulo Generali apud Madonna dell’Arco celebrando (1974) recensionem elementorum particularium paravit quæ, e nostra traditione liturgica deprompta, Ordo servanda censeret. Illud igitur Capitulum documentum inter alia approbavit quod inscribitur « Adaptationes ad Ordinem Prædicatorum illarum partium Ritualis Romani quæ vocantur “Ordo Unctionis infirmorum” et “Ordo Exsequiarum” ». Quod documentum (Introductio generalis, sectiones rituales et textus appropriati), Congregationi pro Sacramentis et Cultu Divino subiectum, eius approbationem accepit.<sup>3</sup> Ut enim Card. Iacobus R. Knox, Praefectus Congregationis, scripsit, hæc elementa liturgiæ infirmorum et defunctorum, quippe quæ e libris traditionis nostræ, Missali scilicet et Breviario, sint deprompta, confirmata sunt « ad mentem principii de debito honore tribuendo Ritibus particularibus, a Concilio Vaticano II (Sacr. Conc. 4) sollemniter statuto ».

Elementa autem ad liturgiam infirmorum et defunctorum pertinentia, in *Analectis O.P.* (vol. 43, 1977, pp. 141-159) publici iuris facta, non ad modum Ritualis plenioris exhibebantur. Variae igitur Provinciæ necnon Monasteria monialium O.P., petierunt ut Ordo editionem pararet sub forma Ritualis confectam, ubi invenirentur, una cum elementis seu textibus li-

---

<sup>1</sup> Prot. N° 66/01/593.

<sup>2</sup> Prot. N° 66/01/1007.

<sup>3</sup> Decr. 25 iulii 1977, Prot. CD 671/76: ASOP 43, 1977, p. 133.

turgicis, etiam orientationes pro actuali usu in communitatibus nostris habendo, attentis condicionibus et consuetudinibus vitae regularis nostrae.

Opus igitur recognitionis, præparationis et editionis Ritualis nostri Frr. V. de Couesnongle, D. Byrne et T. Radcliffe, Magistri Ordinis, Commissioni liturgicæ commiserunt cui fr. Vincentius Romano præerat: idemque suo munere usque ad mensem novembbris 2001 perfunctus est. Quæ quidem Commissio, compluribus fratribus et sororibus adiuvantibus, magnum opus perfecit præsentationis et ritualis dispositionis elementorum liturgiae nostræ traditionalis pro infirmis et defunctis. In Appendice utriusque voluminis indicationes præbentur ad communitates nostras pro earum diversitate (fratrum scilicet, monialium, sororum et laicorum) adiuvandas, ut huiusmodi christianas vices et in liturgia et in actione pastorali erga membra Familiae Dominicanæ vivant eximie.

Mense iunii 2001 Curiæ Generalitiæ visum est hæc duo volumina a Commissione annis 1991-2001 confecta et latina et italica lingua transmittere, antequam imprimenterunt, ad Congregationem pro Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, quasi ad extremam “recognitionem” petendam, quamvis omnes textus a supradicta Congregatione iam anno 1976 essent confirmati. Simili modo instauratio rituum *Proprii de Tempore* peracta erat, qui impressi sunt in *Missali et Lectionario O.P.* (edd. V. de Couesnongle et D. Byrne). Tum enim, singillatim respondens litteris ab Exc.mo D.no Virgilio Noè obsignatis,<sup>4</sup> Congregatio Ordinem adhortabatur ad ritus suos instaurandos et communitatibus Dominicanis offerendos.

Hucusque autem confirmatio pro his duobus Ritualibus nostris nondum pervenit. Quod quidem intelligi potest si consideratur quam multa fascicula Congregationi illi sint inspicienda pro universa Ecclesia et pro Conferentiis episcoporum, necnon et pro Institutis vitae consecratæ. Præterea, quamvis hæc opera, a Commissione Dominicana anno 2001 confecta, copiosis relationibus illustrata Congregationi sint exhibita, adhuc nonnullæ difficultates interpretandi permanent.

Qua situatione respecta, nobis visum est ut Communitatibus nostris iam nunc aperiamus accessum ad ea quæ Commissio liturgica paravit exinde ab elementis liturgicis ab Ordine approbatis atque tunc temporis a Congregatione pro Cultu Divino confirmatis. Hoc opus peractum est iuxta normas a Sancta Sede editas pro recognitione librorum liturgicorum ac præsertim iuxta methodum ab eadem Commissione pro *Ordine Professio-nis O.P.* (ed. 1999) adhibitam. Ob liturgicam et pastoralem Familiae Dominicanæ necessitatem, ad nostram traditionem liturgicam et regularem

---

<sup>4</sup> Prot. CD 524/83.

plenus accedendi quoad pertinet ad liturgiam infirmorum et defunctorum, hæc duo volumina a Commissione liturgica in serie *Documentorum*, quæ sunt pars *Proprii O.P.*, edi iussi. Quæ quidem et tipographica forma non ut vera Ritualia sed ut "instrumenta laboris" exhibentur. Ipsa enim, ut in libris traditionis nostræ, præter elementa celebrationis etiam orientationes offerunt, pro usu communitario et regulari horum rituum, præsertim in "nota prævia" uniuscuiusque capituli positas.

Communitates Ordinis in sua vita liturgica, etiam cum de infirmis agitur atque defunctis, moneo ut præscriptiones Ecclesiæ et liturgiæ a Concilio Vaticano II renovatæ sequantur atque libros liturgicos suæ Conferentiæ episcopalibus suscipiant. Cum igitur Sedes Apostolica novam editionem typicam *Ordinis Unctionis* et *Ordinis Exsequiarum* edat, cordi erit Ordini indicationes præbere ut vita nostra liturgica magis magisque e novissimis itineribus liturgiæ renovatæ Ecclesiæ Latinæ valeat haurire.

Opto igitur ut Provinciæ, Monasteria, Congregationes et Fraternitates laicorum sancti Dominici statim divitiis fruantur utriusque voluminis quod nunc offertur.<sup>5</sup> Pro eorum versione, vel alicuius eorum partis, præ oculis habeantur orientationes generales a Sede Apostolica præbitæ necnon etiam ab Ordine peculiaribus notis directivis commemoratæ. Quam ob rem etiam indicationes in instructione *Liturgiam authenticam* atque in aliis recentibus documentis præbitas recolere iuvabit.



Fr. Carolus Alphonsus AZPIROZ COSTA, O.P.  
*Magister Ordinis*



Fr. Christophorus HOLZER, O.P.  
*Secretarius generalis*

*Prot. n. 66/08/27 Rituale degli Infermi*

Die 14 septembris 2008, in festo *Exaltationis S. Crucis*

<sup>5</sup> De elementis vero propriis Ordini Card. Iacobus R. Knox in decreto supra dicto scripsit: « adhiberi valeant, de iudicio singularum communitatum, attentis bono spirituali et profectu pastorali tum ipsius communilitatis tum fidelium qui ecclesias Ordinis frequentare solent ».





NOS

FR. TIMOTHEUS RADCLIFFE O.P.

S. THEOLOGIÆ PROFESSOR  
AC TOTIUS ORDINIS PRÆDICATORUM  
HUMILIS MAGISTER ET SERVUS

**LITTERÆ PROMULGATIONIS  
MAGISTRI ORDINIS\***

**1.** PER MORTEM EXODUM sortiuntur ad Patrem frater vel soror quos vincula fraternitatis et apostolici munera nobis coniunxerunt, idemque eventus transitus Domini efficitur qui nuntium seu signum tradit pro eorum familiaribus, communitate amicisque.

Assidua igitur in cordibus ac memoria nostra surgit quæstio, utrum scilicet hunc fratrem vel hanc sororem satis dilexerimus, utrum secretum ipsius reverenter animadverterimus, utrum vero perspexerimus quid ipse vel ipsa fuerit pro nobis, in Familia Dominicana,<sup>1</sup> ut sincerus filius vel filia Dominici, ut « amicus quem Deus nobis dedisset », sicut traditur Franciscum Assisiensem dixisse, utrum denique eum vel eam, cum in nosocomio degeret, satis visitaverimus.<sup>2</sup>

**2.** Sub specie huius fraternali et apostolicæ communionis conspiendus est sensus huius *Ordinis Exsequiarum*, antiquæ nostræ traditioni radicitus inhærentis sed penitus renovati iuxta indicationes Concilii Vaticani Secundi, quo magis magisque immittamus in paschale mysterium Iesu, qui mortuus est et resurrexit.<sup>3</sup>

*In peregrinatione fidei*

**3.** Eventus mortis vitam manifestat, atque ad vivendum ipsi facti sumus: vitam igitur diligimus propter eius pulchritudinem, gratiam,

---

\* Abbreviationes et sigla inveniuntur infra, pp. 13-15.

<sup>1</sup> Cf. ACG 1998, n. 34.

<sup>2</sup> Cf. Mt 25,36.43.

<sup>3</sup> Cf. Rm 6,3-4a.

motus, amicitias, sed etiam propter hominum promotionem et propter ministerium nostris æqualibus præstandum, quibus multiplicibus vinculis coniungimur. Vivere autem est iterum iterumque nasci, dum Iesus a Patre suo potestatem accipit credentes adducendi ad vitam pleniorum et ad claritatem resurrectionis.<sup>4</sup>

**4.** Sacra Scriptura pluries adfirmat quod pro eo qui credit in Deum, pacem nostram,<sup>5</sup> tribulationes, angustiæ, peccatum ipsum atque mors prævalere non possunt contra virtutem Spiritus libertatis.<sup>6</sup> Dei quidem consilium non est perditio facturæ suæ,<sup>7</sup> quæ opus est mirabile Verbi creatoris, sed ipsius redemptio atque perfectio. Itaque per mysterium paschale, « novissima inimica destruetur mors » et erit « Deus omnia in omnibus »,<sup>8</sup> cum fides nostra erit consummata per novissimam epiclesin Spiritus Sancti sub verbis Apocalypsis obumbratam: « Ecce, nova facio omnia »,<sup>9</sup> veluti flumina ad suum principium revertentia.<sup>10</sup>

**5.** Libri liturgiæ renovatæ Ordinis Prædicatorum qui iam sunt editi, id est *Missale et Lectionarium*, *Liturgia Horarum*, *Ritualis* denique sectiones quæ *Professionis ritus* atque *Ordo Unctionis Infirmorum* nuncupantur, vitam nostram religiosam et apostolicam monent sub specie mystrii paschalis vivendam, forma scilicet eucharistica sumpta, in qua laudes Domini et ministerium hominum atque creationis simul operantur.

**6.** Hæc igitur Ritualis sectio, quæ sequitur *Ordinem Unctionis Infirmorum eorumque spiritualis curæ*, renovata est iuxta indicationes ab Ecclesia datas per Concilium Vaticanum Secundum, ut fides nostra reviviscat per compassionem Christi, qui est auctor salutis nostræ,<sup>11</sup> ut testimonium evangelicum denuo percipiatur in communitate, in missione et in oratione<sup>12</sup> atque per liturgiam veram<sup>13</sup> ea sanctificantur quæ a morte usque ad sepulturam aguntur.

---

<sup>4</sup> Cf. *Io* 5,26-29; 6,39-40.44.54; 11,25.

<sup>5</sup> Cf. *Is* 9,5; *Eph* 2,14.

<sup>6</sup> Cf. *Rm* 8,2.11.

<sup>7</sup> Cf. *Sap* 1,13.

<sup>8</sup> Cf. *1 Cor* 15,27.28.

<sup>9</sup> *Ap* 21,5.

<sup>10</sup> Thomas Aquin., *In III Sent.*, *prol.*; cf. *Summa c. gent.* IV 55.

<sup>11</sup> *Hebr* 2,10; cf. 5,9.

<sup>12</sup> Cf. ASOP 1977, p. 144, n. 5.

<sup>13</sup> Cf. Y. Congar, *Sacerdoce et laïcat*, Paris 1962, p. 166.

*De fractura mortis in communione fraterna*

**7.** Mors fratris, sororis vel sodalis Familiae Dominicanae lacerationem efficit in communitate locali et provinciali, in Congregatione vel in Fraternitate, et in ipso Ordine.

Etsi luctus accidit, ut hodie saepe evenit, post multos annos in senectute vel in infirmitate consumptos, discidium semper dolet. Vox enim illa silet, locus in choro et in refectorio vacuus manet, risus deficit in coetu fratrum vel sororum, officium caret fungente, in apostolico munere aliquis est surrogandus, inter amicos conventus vel domus vel fraternitatis laicalis colloquium desideratur cum fratre vel sorore quem universi neverunt in vicinia vel in loco missionis.

**8.** Familiae quæ forti animo nonnumquam atque abnegationis sensu filium vel filiam suam Familiae Dominicanæ non recusaverunt committere, et ipsæ luctu atque desiderio conficiuntur, quærentes cui nepoti seu cognato vel cognatæ in futurum confidant, ut soliti erant, certi se audiri et comprehendendi, etiam cum lumen vivum verbi Dei prudenti dilectione sibi traderetur.

**9.** Christianus quidem sensus nobis testatur colloquium et amicitiam quodammodo permanere in fide quam Scriptura docet et traditio Ecclesiæ vel Ordinis monet. Omnis enim defunctus, misericordia Dei et supplicatione Ecclesiæ circumdatus, partem habet in Ierusalem cœlesti et conviva efficitur Regni Dei.<sup>14</sup> Quæ præclarissima nos monet liturgia et intercessio Ecclesiæ, Spiritus Sancti virtute roborata, illis nos iungit singularibus testibus qui sancti exstant et sanctæ, una cum martyribus nostræ ætatis.<sup>15</sup> Quorum testium exemplis, fratrum scilicet et sororum in Christo et in Dominico, foedus quoque nostrum cum Domino misericordiæ confirmatur et viget.

*De Rituali Ordinis*

**10.** In Litteris promulgationis ceterarum Ritualis Ordinis sectionum<sup>16</sup> monitum est quæ de traditione nostra liturgica sentire nos debeat; in Introductione generali huius ipsius libri nonnullæ præbentur

<sup>14</sup> Cf. CCC, n. 1682.

<sup>15</sup> Cf. TMA, n. 37; *Martiri domenicani del secolo XX*, IDI 389, genn. 2001, pp. 22-28.

<sup>16</sup> Proprium O.P., III, Rituale: *Ordo in electionibus Superiorum servandus*, Romæ 1992 (= ASOP 1991, pp. 257-288); IV, Rituale: *Professionis ritus*, Romæ 1999 (= AOP 1999, n. 1); Documenta II: *Ordo Unctionis infirmorum eorumque spiritualis curæ*, Romæ 2008.

indicationes historicæ atque structurales:<sup>17</sup> ego quidem, in hac novissima parte litterarum mearum, huius liturgiæ defunctorum nonnullas peculiaritates indicabo.

**11.** Usque ad sæculum vigesimum Ordo Prædicatorum, sicut aliæ Familiæ religiosæ, liturgiam de infirmis et de defunctis servaverat cuius pretium et virtus sunt sæpe illustrata.<sup>18</sup> Sollicitudo præsentiae et orationis fratrnæ apud fratres infirmos vel defunctos semper manifesta fuit, sive in indicationibus pro ritibus exsequendis sive in Ordinis determinationibus de suffragiis pro defunctis.<sup>19</sup>

**12.** Novissime autem, plurimi faciens indicationes Concilii Vaticani Secundi, Ordo noster suos libros liturgicos instaurandos curavit, elementa magis propria in textibus vel ritibus sollicitus servandi.<sup>20</sup> Itaque Capitulum generale anni 1974 repertorium approbavit elementorum nostræ traditionis de liturgia infirmorum et defunctorum:<sup>21</sup> quorum textuum editionem in forma rituum, Capitulum Magistro Ordinis commisit curandam,<sup>22</sup> post Apostolicæ Sedis confirmationem.

Peritorum tractatibus perspectis<sup>23</sup> atque Provinciarum, Monasteriorum et Congregationum experienciis<sup>24</sup> consideratis, hoc denique Rituale a Commissione liturgica Ordinis, meo quidem mandato, confectum est et nunc Ordini præbetur.

**13.** In præsenti igitur sectione Ritualis de exsequiis agitur ac suffragiis pro defunctis quæ in Familia Dominicana sunt præscripta. Huius vero libri nonnullas peculiaritates hic proponere velim, quæ utilitatem afferre possint.

a) *Ordo Exsequiarum* Ritualis Romani præcipit ut diversa sanctificantur momenta, a morte usque ad sepulturam: quæ quidem, ut mos erat in Processionali nostro, per instaurationem huius libri pulchre illustrantur. Hanc igitur liturgiam fratres et sorores melius participare poterunt, munera apostolica non negligentes.

b) Suffragia a Constitutionibus singulorum coetuum Familiæ Dominicanae expedita opportune memorantur in capitulo huius Ritualis,

---

<sup>17</sup> Cf. infra, « Intr. gen. », nn. 3-5.

<sup>18</sup> Cf. ASOP 1977, p. 143.

<sup>19</sup> Cf. LCO, nn. 9, 10, 11, 70-75; LCM, nn. 8-12, 16-21, 45/2°.

<sup>20</sup> Cf. SCSCD, Decr. 25 iul. 1977: LHOP, p. v.

<sup>21</sup> ASOP 1977, pp. 149-155.

<sup>22</sup> ACG 1974, n. 170.

<sup>23</sup> Vide infra, « Intr. gen. » n. 3, adn. 4.

<sup>24</sup> Cf. V. Romano, IDI 221, febr. 1985, p. 18; *ibid.* 233, mar. 1986, p. 36.

ubi exhibentur etiam elementa iam præbita in *Libello precum* ab Ordine instaurato.<sup>25</sup> Hæc autem suffragia minus ampla sunt quam in historia Ordinis:<sup>26</sup> quapropter Familiæ Dominicanæ sodales circa officia erga defunctos suam fidelitatem, et singulatim et communitarie, considerent. Illustratio diversarum celebrationum quæ hic supra [sub a)] indicantur, unicuique suggeret quomodo iis quæ præcipiuntur veracius obtemperet.

c) Missa exsequiarum, cum ritu ultimæ valedictionis, necnon congrua participatio in coemeterio, culmina huius liturgiæ existunt. Quæ omnia communitates nostras parare et peragere oportet pari studio ac diligentia pro unoquoque eorum fratum vel sororum; paupertas vero in qua sepultura peragitur veritatem liturgicam et evangelicam evidentiam omnino non obstet.

d) Pluries, in hoc Rituali, necessitudines memorantur quæ cum familiis et amicis fratum vel sororum nostrarum nos coniungant. Ea enim habitus et ratio sunt habenda quibus et responsabilitas Ordinis erga omnem sodalem suum et gratus animus erga familias nostras exprimantur, ut opportune memoratur in anniversariis celebrandis.

**14.** Ut in *Ordine Unctionis Infirmorum*, hæc pars Ritualis nostri una cum veteribus textibus instauratis nova quoque formularia et indicationes præbet. Pro aptationibus vero quæ singulis linguis conficiuntur etiam ea suggeruntur quæ laudabiliter prævideri possunt.

Fratres, moniales et sorores atque sodales Fraternitatum laicalium Ordinis præstat ut huius libri liturgicas et spirituales divitias convenienter illustratas percipient. Iuvenes utique fratres et sorores inter studia sua de Rituali Romano necnon Ordinis erudiantur. Munus pastorale de exequiis peragendis cum sit pars ministerii nostri sæpe missionis reapse expertæ exstat occasio, ibique compassio Patris nostri Dominici necnon charisma sanctæ Catharinæ Senensis ad reperienda verba atque gestus aptos nos adiuvant.

**15.** Ut in prima præfatione de defunctis canitur, in Christo « nobis spes beatæ resurrectionis effulsit », quæ est centrum eorum quæ credimus.<sup>27</sup> Quapropter ad actus libertatis efficiendos movemur in itinere

<sup>25</sup> LHOP, pp. 764-773.

<sup>26</sup> Cf. M.-D. Chauvin, *La Liturgie de la mort dans l'Ordre de Saint Dominique*, Romæ 1920; H. R. Philippeau, *La liturgie dominicaine des malades, des mourants et des morts*, "Archives d'histoire dominicaine" I, Paris 1946, pp. 38-52; P. R., *Pour l'histoire de l'Office des morts chez les Frères Prêcheurs*, *ibid.*, pp. 232-240; A. Dirks, *De officio defunctorum in Ordine Fratrum Prædicatorum*, ASOP 1953-1954, pp. 389-394; A. Redigonda, *De hebdomadali Officii defunctorum recitatione apud FF. Prædicatores*, ASOP 1955-1956, pp. 50-61.

<sup>27</sup> *1 Cor* 15,12-17.

illo quod a professione suscepimus, ut Christo iam per baptismum conformati obœdientes usque ad mortem perficiamur.

### *Promulgatio et versiones huius Ordinis Exsequiarum*

**16.** Præsens editio *Ordinis Exsequiarum*, utpote pars *Proprii* nostri iam ab Ordine approbata et ab Apostolica Sede quoad eius elementa ritualia rite confirmata, deinceps tamquam ‘*typica*’ habeatur pro universis Familiae Dominicanæ sodalibus, sub uniuscuiusque regula constitutis.

**17.** Huius libri versiones linguis vernaculis parentur et si casus ferat aptationes, sub responsabilitate Provincialium quibus competit.<sup>28</sup>

Quibus in versionibus et aptationibus conficiendis, præ oculis habentur normæ seu indicationes a Sede Apostolica<sup>29</sup> et a Conferentiis Episcopilibus editæ, necnon et indicationes iussu Magistri Ordinis confectæ<sup>30</sup> atque ea quæ in Prænotandis Ritualis Romani<sup>31</sup> vel hic infra<sup>32</sup> proponuntur.

**18.** Nobis omnibus coram mortis mysterio lugentibus prosit Pater noster Dominicus iuxta promissionem suam,<sup>33</sup> ut spes mira qua nos ditamur super homines nostri temporis valeat effundi.

Datum Romæ, e Curia nostra generalitia, die 4 iunii in memoria sancti Petri de Verona, anno 2001.

Fr. Timothy RADCLIFFE, O.P.  
*Magister Ordinis*

Fr. Vincenzo ROMANO, O.P.  
*Præses Commissionis  
liturgicæ Ordinis*

*Prot. N° 66/01/1007*

<sup>28</sup> Una cum textu latino huius partis Ritualis, versio italica et francogallica approbata est ab Ordine.

<sup>29</sup> SCCD, Declar. *De interpretatione textuum liturgicorum*, 15 sept. 1969: EDIL I, n. 1963, adn. a, pp. 623 sq.; CCDDS, Instr. *De usu linguarum popularium in libris liturgiae Romanae edendis*, 28 mart. 2001.

<sup>30</sup> Cf. V. Romano, *Indicationes quædam pro adaptatione Proprii liturgici O.P. a Provinciis perficienda*, 24 iun. 1978, ASOP 1979, pp. 13-30; *Translationes Proprii O.P. linguis vernaculis*, in LHOP, « Intr. gen. », nn. 72-79, pp. LX-LXIII.

<sup>31</sup> OE, nn. 21-25.

<sup>32</sup> « Intr. gen. », nn. 32-33.

<sup>33</sup> Cf. *Acta canonizationis Bonon.*, nn. 7-8, MOPH 16, pp. 127-130.

## ABBREVIATIONES ET SIGLA

- AAS** “Acta Apostolicæ Sedis”, Romæ 1909 sqq.
- ACG** “Acta Capitulorum Generalium Ordinis Prædicatorum”.
- AG** *Antiphonarium S.O.P.*, ed. M. Gillet, Romæ 1933 [Add. 1948, 1949 et 1961].
- AJ** *Antiphonarium S. O. P.*, ed. V. Jandel, I, II, Suppl., Mechliniæ 1862-1863.
- AOP** “Analecta Ordinis Prædicatorum”, Romæ 1998 sqq. (usque ad a. 1998 = ASOP).
- ASOP** “Analecta Sacri Ordinis Prædicatorum”, Romæ 1893-1997 (post a. 1997 = AOP).
- CCDDS** Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum.
- CCE** *Catechismus Catholicæ Ecclesiæ*, ed. typica Latina, Città del Vaticano 1997.
- CIC** Codex Iuris Canonici, auctoritate Ioannis Pauli II promulgatus, 25 ian. 1983.
- CIVCSVA** Congregatio pro Institutis vitæ consecratæ et Societatibus vitæ apostolicæ (usque ad 28 febr. 1989).
- COP** *Cæremoniale iuxta ritum S. Ordinis Prædicatorum*, ed. A. V. Jandel, Mechliniæ 1869.
- CSCD** cf. SCSCD.
- DB** *De benedictionibus*, editio typica, Romæ 1985.
- Eccl. Off.** *Ecclesiasticum Officium secundum Ordinem Fratrum Prædicatorum...*, vulgo dictum ‘Prototypus Humberti de Romanis’, AGOP XIV L 1 (sæc. XIII).
- EDIL** R. Kaczyński (ed.), *Enchiridion documentorum instauratiōnis liturgicæ*, I (1963-1973), Torino 1976; II (1973-1983), Roma 1988; III (1983-1993), Roma 1997.
- GeV** *Sacramentarium Gelasianum*, ed. L.C. Mohlberg, *Liber sacramentorum romanæ ecclesiæ ordinis anni circuli*, Roma 1960.
- GOP** *Graduale S.O.P.*, ed. E. Suarez, Romæ 1950 [Add. 1962].
- GR** *Graduale Romanum*, Abbatia Sancti Petri de Solesmis 1974.
- Gre** *Sacramentarium Gregorianum*, ed. J. Deshusses, *Le sacramentaire grégorien, ses principales formes d'après les plus anciens manuscrits*, Fribourg, 2<sup>ème</sup> et 3<sup>ème</sup> éditions, I, II et III, 1988-1992.
- IDI** “Informazioni Domenicane Internazionali”, Convento S. Sabina, Roma.

- IGLH** *Institutio generalis de Liturgia Horarum*, in *Liturgia Horarum*, I, 1971, pp. 19-92.
- IGMR<sup>3</sup>** Missale Romanum, *Institutio Generalis*, ex editione typica tertia cura et studio Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum excerpta, Città del Vaticano 2000.
- LCM** *Liber Constitutionum Monialium O. P.*, ed. D. Byrne, ASOP 95, 1987, pp. 20-81.
- LCO** *Liber Constitutionum et Ordinationum Fratrum Ordinis Prædicatorum* (1968), Romæ 1986.
- LHOP** Liturgia Horarum. *Proprium Officiorum O. P.*, ed. V. de Couesnongle, Roma 1982.
- LR** Missale Romanum, *Lectionarium*, III: *Pro Missis de Sanctis, ritualibus, ad diversa, votivis et defunctorum*, Editio typica, 1972.
- MA** *Missale Ambrosianum*, Mediolani 1981.
- MLOP** Proprium Ordinis Prædicatorum, *Missale et Lectionarium*, edd. V. de Couesnongle - D. Byrne, Romæ 1985.
- MOP** *Missale iuxta ritum Ordinis Prædicatorum*, ed. A. Fernández, Romæ 1965.
- MOPH** *Monumenta Ordinis Fratrum Prædicatorum Historica*, Lovanii - Romæ 1896 sqq.
- MR<sup>3</sup>** *Missale Romanum*, editio typica tertia, Typis Vaticanis 2002.
- OE** Rituale Romanum, *Ordo Exsequiarum*, editio typica, Typis Polyglottis Vaticanis 1969.
- OHS** *Officium Hebdomadæ Sanctæ O.P.*, ed. A. Fernández, Romæ 1965.
- OUISC** Proprium Ordinis Prædicatorum, *Ordo Unctionis Infirmorum eorumque spiritualis curæ*, Romæ 2008.
- PR** *Le Pontifical de la Curie romaine au XIIIème siècle*, in *Le Pontifical romain au Moyen-Age*, t. II, ed. M. Andrieu, Città del Vaticano 1940, reimpr. 1984.
- PRG** C. Vogel - R. Elze (edd.), *Le pontifical romano-germanique du dixième siècle: Le texte*, II, Città del Vaticano 1963.
- PS** *Processionarium S.O.P.*, ed. E. Suarez, Romæ 1949.
- RE** Conferenza Episcopale Italiana, *Messale Romano riformato a norma dei decreti del Concilio Ecumenico Vaticano II e promulgato da Paolo VI: Rito delle Eseguie*, edizione tipica, Roma 1974.
- RE Ambr.** *Rito delle Eseguie secondo la liturgia della Santa Chiesa di Milano*, promulgato dal signor Cardinale Giovanni Colombo arcivescovo di Milano, Milano 1977.
- RSM** *Rituale dei Servi di Maria per la memoria dei fratelli defunti*, edizione tipica, Roma, Curia Generalizia OSM, 1975.
- SC** Concilium Vaticanum II, *Constitutio de sacra liturgia Sacrosanctum Concilium*, 4 dec. 1963: AAS 56, 1964, pp. 97-124 et EDIL I, pp. 1-27.

---

<b>SCCD</b>	Sacra Congregatio pro Cultu Divino (usque ad diem 10 iul. 1975).
<b>SCRIS</b>	Sacra Congregatio pro Religiosis et Institutis Sæcularibus (usque ad 1 mart. 1968: S. Congregatio de Religiosis [a die 1 mart. 1989: CIVCSVA]).
<b>SCSCD</b>	Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino (a die 11 iulii 1975 usque ad diem 4 apr. 1984 [a die 27 novembris 1983: CSCD]).
<b>SD</b>	Ioannes Paulus II, Epistula Apostolica <i>Salvifici doloris</i> de christiana doloris humani significatione, 11 febr. 1984: AAS 76, 1984, pp. 201-250.
<b>SRC</b>	Sacra Rituum Congregatio (usque ad diem 7 maii 1969).
<b>TMA</b>	Ioannes Paulus II, Epistula Apostolica <i>Tertio Millennio adveniente</i> Episcopis, clero, fidelibus anni MM Iubilæum ad parandum, 10 nov. 1994: AAS 87, 1995, pp. 5-41.
<b>VC</b>	Ioannes Paulus II, Adhortatio apostolica post-synodalis <i>Vita consecrata</i> de vita consecrata eiusque missione in Ecclesia ac mundo, 25 mart. 1996: AAS 88, 1996, pp. 377-486.

### Sigla Sacræ Scripturæ

<b>Ap</b>	Apocalypsis beati Ioannis apostoli
<b>Bar</b>	Liber Baruc prophetæ
<b>Col</b>	Epistola beati Pauli apostoli ad Colossenses
<b>1 et 2 Cor</b>	Epistola I et II beati Pauli apostoli ad Corinthios
<b>Eph</b>	Epistola beati Pauli apostoli ad Ephesios
<b>Hebr</b>	Epistola ad Hebræos
<b>Io</b>	Evangelium secundum Ioannem
<b>Iob</b>	Liber Iob
<b>Is</b>	Liber Isaiæ prophetæ
<b>Iudt</b>	Liber Iudith
<b>Lc</b>	Evangelium secundum Lucam
<b>2 Mac</b>	Liber II Machabæorum
<b>Mc</b>	Evangelium secundum Marcum
<b>Mt</b>	Evangelium secundum Matthæum
<b>Phil</b>	Epistola beati Pauli apostoli ad Philippenses
<b>Ps</b>	Liber Psalmorum
<b>Rom</b>	Epistola beati Pauli apostoli ad Romanos
<b>Sap</b>	Liber Sapientiæ
<b>1 et 2 Tim</b>	Epistola I et II beati Pauli apostoli ad Timotheum
<b>Tit</b>	Epistola beati Pauli apostoli ad Titum



## INTRODUCTIO GENERALIS

**1.** Paschale Christi mysterium in filiorum suorum exsequiis fidenter celebrat Ecclesia, ut illi, qui Christo mortui et suscitati per Baptismum corporales facti sunt, cum ipso per mortem transeant ad vitam, in anima quidem purificandi et cum sanctis et electis in cælum assumendi, in corpore vero exspectantes beatam spem adventus Christi et resurrectionem mortuorum.

Ideo sacrificium eucharisticum Paschatis Christi pro defunctis offerat Ecclesia, precesque atque suffragia pro illis effundit ut, inter se communicantibus omnibus Christi membris, quæ aliis impetrent spiritualem opem, aliis offerant spei solacium.<sup>1</sup>

**2.** In fratrum et sororum suarum exsequiis celebrandis necnon aliorum sodalium aut amicorum Familiae Dominicanæ, Ordo noster, una cum omnibus christifidelibus, spem vitæ æternæ utique affirmare satagit, ita tamen ut mentem modumque circa defunctos agendi hominum huius ætatis huiusque regionis ubi sodales Familiae Dominicanæ versantur nec ignorare nec neglegere videatur.

Ordo igitur noster, iuxta indicationes *Ordinis Exsequiarum Ritualis Romani* una cum traditionibus propriis rite instauratis atque hic præbitis, quidquid bonum invenerit in consuetudinibus loci vel familiarium libenter probet, quidquid vero Evangelio vel vitæ consecratæ sensui contradicere videatur, fratres et sorores ita transformare nitantur, ut, quæ exsequiæ pro christianis celebrentur, et fidem paschalem ostendant et evangelicum spiritum atque religiosam fraternitatem vere demonstrent. Exsequias autem uniuscuiusque fratris vel sororis pari decore celebrari oportet, quodcumque officium seu gradum in Ordine vel in ipsa Ecclesia tenuerit.<sup>2</sup>

---

<sup>1</sup> Cf. OE, n. 1.

<sup>2</sup> Cf. OE, nn. 2 et 20.

## I

## LITURGIA DOMINICANA DE EXSEQUIIS

**3.** Ordo Prædicatorum, ut ceteræ Familiæ religiosæ, inter traditiones suas peculiares recepit liturgiam infirmorum et defunctorum cuius pretium et virtus sunt sæpe proposita<sup>3</sup> atque nonnumquam sunt etiam adhibita in renovatione liturgica generali quæ per Concilium Vaticanum II exorta est.<sup>4</sup>

Rituale Romanum nunc totaliter instauratum eiusque sectionem quæ de celebrationibus pro defunctis agit Ordo noster impetravit ut sibi liceret adsumere, curæ pastoralis gratia necnon ad facultatem acquirendam ritibus fruendi hodierno sensui religioso et spirituali aptioribus.<sup>5</sup>

Attamen, sicut in Rituali Romano iam prævisum est,<sup>6</sup> Ordo noster optavit ut quædam aptiora elementa propriae ritus antiqui servaret. Quæ vero, sicubi necesse fuerit, renovavit, usui conventuali aptans rationes vel textus liturgiæ latinæ nostri temporis.

**4.** Hic igitur infra inveniuntur textus instaurati e Processionali, Collectario et Cæremoniali O.P. desumpti, ita ut a Capitulo generali anni 1974 approbati sunt et a Sede Apostolica confirmati.<sup>7</sup> Indicationes vero rituales iuxta consuetudines nostras traditæ nunc recognitæ sunt ad diversitates respiciendas communictatum fratrum vel monialium vel sororum vel aliorum sodalium Familiæ Dominicanæ.

**5.** De fratre quidem vel sorore qui sit mysterio tactus infirmitatis et mortis communitates nostræ sint semper sollicitæ. Quoad vero suffragia, hoc Rituale remittit iis quæ præcipiuntur in Constitutionibus vel statutis uniuscuiusque coetus Familiæ Dominicanæ.<sup>8</sup> Ad mentem

<sup>3</sup> Cf. ASOP 1977, p. 143.

<sup>4</sup> Cf. ACG 1974, n. 170 (= ASOP 1977, pp. 147-149, nn. 14-21; pp. 152-155, nn. 28-37). Vide etiam D. Dye, *Le rit dominicain à la suite de la réforme liturgique de Vatican II*, ASOP 1977, pp. 193-275 (= "Notitiæ" 14, 1978, pp. 334-417; 463-499), præsertim pp. 250-260; M.A. Del Río González, *La Liturgia de la Muerte y de las Exequias en la tradición dominicana. Estudio histórico-litúrgico-teológico*, Salmanticae 1998.

<sup>5</sup> Cf. ACG 1974, n. 170 (= ASOP 1977, pp. 143 sqq.); ASOP 1977, pp. 141 sq.

<sup>6</sup> Cf. ASOP 1977, p. 143 adn. 3

<sup>7</sup> Vide supra, adn. 4.

<sup>8</sup> Cf. LCO, nn. 9, 10, 11, 70-75; LCM, nn. 8-12, 16-21, 45/2°. Vide etiam A.-G. Fuente, *La vida litúrgica en la Orden de Predicadores. Estudio en su legislación: 1216-1980*, Romæ 1981, p. 136 sq. et 210-218.

utique liturgiæ renovatæ, distinctius indicatur quomodo diversa momenta a morte usque ad sepulturam sanctificari præstet necnon suggestiones præbentur ad unamquamque communitatem in eius vita orationis promovendam.

## II

## DE COMMUNITATE ET DE PERSONIS AGENTIBUS

**6.** Varia sunt tempora vel loca (in conventu scilicet aut in nosocomio aut in valetudinario aut alibi) in quibus accidere potest ut frater vel soror moriatur, variisque sunt cultus et homines qui actiones liturgicas singulæ communitatis connotant. Quæ omnia respicere præstat variasque facultates cognoscere a Rituall Romano præbitas vel aptationes regionales ipsius.<sup>9</sup>

**7.** Ut aptam inveniant rationem præparandi et peragendi celebrationes, Prior vel Priorissa et delegatus vel delegata pro liturgia communis præ oculis habeant adiuncta omnia – præsertim cum in nosocomio seu extra domum religiosam infirmus degit – et libenter variis facultatibus in Rituall Ordinis propositis utantur. Per aptam catechesim current ut fratres vel sorores rite percipient spirituales divitias et intentiones liturgiæ renovatae.<sup>10</sup>

**8.** Fratres et sorores participes se sentiant celebrationis exsequiarum alicuius ex iis. Respiciendi sunt etiam propinqui atque amici qui defuncto potissimum fuerint coniuncti. Cum hoc fieri possit vel opportunum videatur, præstat elementa pro celebratione una cum iis seligere.

**9.** Quoad corpus parandum vel alia officia defuncto præstanta,<sup>11</sup> consuetudines loci respiciantur et adiuncta. Officia quoque considerentur quæ addicti funeribus curandis præstant, quo melius exigentiis liturgiæ christianæ deserviant. Debito enim honore fidelium defunctorum corporibus tributo, quæ tempa Sancti Spiritus fuerunt, omnis pompa seu mundana ostentatio vitabitur.<sup>12</sup>

<sup>9</sup> Cf. OE, nn. 21-22.

<sup>10</sup> Cf. ACG 1974, n. 170: *Adaptationes ad Ordinem Prædicatorum illarum partium Ritualis Romani quæ vocantur "Ordo Unctionis Infirmorum" et "Ordo Exsequiarum"*, n. 7: ASOP 1977, p. 144 s.; cf. OE, n. 23.

<sup>11</sup> Cf. OUISC, nn. 179-180.

<sup>12</sup> Cf. OE, nn. 3 et 16.

**10.** Exsequiarum liturgia necnon omnia ei pertinentia non solum defunctos Deo commendare sed etiam spem adstantium eorumque fidem in paschale mysterium ac resurrectionem mortuorum roborare intendunt.<sup>13</sup> Item paschalem formam vitæ consecratæ<sup>14</sup> eadem liturgia manifestat necnon vincula communitatum nostrarum cum familia aut propinquis defuncti vel defunctæ.<sup>15</sup>

**11.** Quibus in actionibus liturgicis præparandis, religiosa vincula illustrentur quæ vitam defuncti vel defunctæ signaverunt, non omissis autem iustis ad familiæ nexus referentiis. Quibus principiis animadversis, hæc peculiaria monentur:

a) quatenus fieri potest, rerum adiunctis perspectis necnon et statutis vel consuetudinibus Provinciarum, Monasteriorum vel Congregationum, pro Missis exequialibus defunctorum nostrorum eligatur ecclesia vel sacellum Ordinis. Sepultura quoque de more fiat in sepulcro nostro;

b) primarii actores liturgiæ – præsidens scilicet celebrationis, prædictor homiliæ, etc. – elegantur iuxta eorum relationes cum defuncto vel defuncta. Sicubi Prior, ut sæpe mos est, Eucharistiæ præsedit, homiliam facit alius frater, sacerdos vel diaconus, qui defunctum vel defunctam bene noverit;

c) peculiaris ratio habeatur familiarium defuncti vel defunctæ, quorum aliquis inveniri potest qui sit acatholicus vel etiam non credens. Eius æquæ postulationes foveantur, ac ipse simul adiuvetur ad liturgiam Ecclesiæ et Ordinis intelligendam.<sup>16</sup>

**12.** Pro peculiaribus adiunctis, quæ contingere possunt, hæc quidem memorentur:

a) pro fratre vel sorore qui corpus suum medicis pro vitalium transpositione donaverit, indicationes Ritualis serventur atque momenta orationis et celebratio Eucharistiæ prævideantur, ritu autem ultimæ valedictionis omisso;

b) si crematio sit facienda, exsequiæ eodem modo celebrentur ac in inhumatione, nonnullis autem elementis huic rationi aptatis;<sup>17</sup>

---

<sup>13</sup> Cf. OE, n. 17.

<sup>14</sup> Cf. VC, n. 24.

<sup>15</sup> Cf. OE, n. 71.

<sup>16</sup> Cf. OE, n. 18.

<sup>17</sup> Cf. OE, n. 15.

c) alii casus accidere possunt, præsertim sicubi frater vel soror moritur absente communitate aut sicubi corpus defuncti ad domum religiosam deferri non potest, adiunctis obstantibus: tunc vero Prior vel Priorissa et delegatus vel delegata pro liturgia omnia quam diligenter tissime provideant, attenta sollicitudine Ordinis pro fratribus vel sororibus defunctis.<sup>18</sup>

**13.** Sicubi, respectis communitate atque votis familiarium vel adstantium, plures linguae adhibendæ videantur, convenienter ipsæ temperentur ad potiora momenta celebrationis illustranda. Eadem vero discretio adhibeatur pro particularibus consuetudinibus accipiendis quæ liturgiæ christianaæ consentiant.

Quod quidem attinet ritum ultimæ valedictionis, caveatur ut lingua et formularia adhibeantur quæ participationem foveant adstantium quam plurimorum.

### III

## PRECES SINGULIS RITUS MOMENTIS APTATÆ

### DIVERSA MOMENTA

**14.** Ad mentem liturgiæ instauratæ, potiora momenta inter mortem et sepulturam præstat sanctificari. E quibus, iuxta locorum consuetudines, hæc numerari possunt: vigilia in domo defuncti, corporis depositio in feretro et ipsius translatio ad sepulcrum, præmissa tum propinquorum tum, si fieri potest, totius communitatis adunatione ad hauriendam in liturgia verbi consolationem spei, ad sacrificium eucharisticum offerendum et ad defunctum ultima valedictione consulandum.<sup>19</sup>

**15.** Ad quas indicationes usibus in Ordine traditionalibus accommodandas, potiora momenta sunt sequentia:

a) in conventu seu in communitate, corporis defuncti vel defunctæ delatio ad ecclesiam aut in locum aptum, vel corporis ab externo advenientis receptio;

---

<sup>18</sup> Cf. ACG 1974, n. 170 = ASOP 1977, p. 147, n. 14.

<sup>19</sup> OE, n. 3; ASOP 1977, p. 147, adn. 19.

**b)** momentum orationis pro defuncto vel defuncta in communitate necnon, si casus ferat, momenta orationis apud feretrum, si corpus in conventum non deferatur;

**c)** celebratio liturgica vel momentum orationis dum feretrum obsignatur;

**d)** sacrificium eucharisticum;

**e)** ultima commendatio, seu valedictio, in ecclesia;

**f)** processio ad cœmeterium, quando fieri potest;

**g)** inhumatio et extrema suffragia, in cœmeterio.

**16.** Post obitum, quando corpus defuncti vel defunctæ componitur et cetera pietatis officia eidem exhibentur, nisi aliquid obstet – legibus locorum servatis – corpus defertur in vigiliæ locum, ecclesiam scilicet conventualem vel alium locum aptiorem.

Si decessus in nosocomio supervenerit vel extra domum religiosam, in funerario cubiculo componatur aut, pro adiunctis, statim in conventum deferatur. Tunc diversa orationum momenta incipiunt.

**17.** “Vigiliæ” apud corpus defuncti fratris vel sororis veluti quandom efficiunt supplicationem e diversis momentis constitutam, quorum unumquodque illustrat alium vel alium aspectum orationis Ecclesiæ atque vitæ nostræ fraternæ:

**a)** prima statio apud ipsum defunctum vel defunctam, pro oratione in simplicitate peragenda, ad ea commemoranda quæ in fraterna necessitudine cognita sunt necnon et cetera quæ nobis dedit Dominus simul cum ipsis experienda;

**b)** Liturgia Horarum, sive diei sive Officii Defunctorum, si dies liturgicus sinit,<sup>20</sup> sive per quorundam huius Officii elementorum congruam selectionem;

**c)** oratio singuli fratris vel singulæ sororis apud defunctum vel defunctam, cum psalmorum recitatione aliorumque sacrorum textuum lectione necnon brevi celebratione liturgica, dum feretrum obsignatur;

**d)** Missæ celebratio, aut eiusdem applicationis intentio, inde a prima decessus notitia, utique ante ipsam liturgiam exsequialem.

Quando Officium defunctorum pro Liturgia Horarum celebrari nequit, sive præsente vel absente cadavere, sive ante sive post inhumatio-

---

<sup>20</sup> Cf. IGLH, nn. 246-247.

nem, præstat ut loco celebrationis huius Officii, vigilia seu celebratio verbi Dei prævideatur.<sup>21</sup>

**18.** Post Missam exsequialem, ritus ultimæ commendationis et valedictionis habetur in ecclesia, quam participare poterit communitas christifidelium.

Quo tamen ritu non quædam defuncti vel defunctæ intelligitur purificatio – quæ quidem sacrificio eucharistico potius efficitur – sed extrema exhibetur valedictio, qua communitas christiana et religiosa sondalem suum consalutat, antequam corpus efferatur vel sepeliatur. Etsi enim quædam semper habetur in morte separatio, tamen christiani, qui tamquam membra Christi unum sunt in Christo, nec ipsa morte umquam separari possunt.<sup>22</sup>

Ritus ultimæ commendationis et valedictionis, cuius descriptio infra (nn. 52-61) invenitur, haberi nequit nisi in ipsa tantum actione exsequiali seu præsente cadavere.<sup>23</sup>

**19.** Ritum ultimæ commendationis et valedictionis sequitur processio ad cœmeterium et inhumatio, quæ variis nostrarum communatum circumstantiis inspectis diversimode instruitur:

a) cum fieri potest, expedit ut stationem in ecclesia processio ad cœmeterium sequatur, quam participare possunt, una cum communitate religiosa, familiares defuncti vel defunctæ atque amici et hospites si adsint. Quæ processio, psalmis et antiphonis selectis, atque usu, si casus fert, cerei paschalis, iuxta consuetudinem peculiarem indolem sumit, utpote symbolum nostræ unionis cum paschali mysterio, ipso quoque cœmeterio præfigurante illum refrigerii, lucis et pacis locum qui est paradisus, in cuius medio lignum vitæ exstat.

Ubi communitas processionem ad cœmeterium peragere potest, ritus ultimæ commendationis et valedictionis variis momentis instruitur (initio scilicet in ecclesia, processione et conclusione cum ultimis suffragiis in cœmeterio);<sup>24</sup>

b) si conventus proprium cœmeterium non habet, aut non sit facilis accessus, ritus ultimæ commendationis et valedictionis persolvitur in ecclesia. Prior autem vel Priorissa et Cappellanus necnon fratres quidam vel sorores, una cum familiaribus præsentibus, corpus ad cœmeterium comitantur, ubi fiunt preces quæ pro inhumatione indicantur.

<sup>21</sup> Cf. OE, n. 14.

<sup>22</sup> Cf. Simeon Thessal., *De ordine sepulturæ*, PG 155, 685 B; CCE, n. 1690.

<sup>23</sup> Cf. OE, n. 10.

<sup>24</sup> Infra, nn. 67-93.

**20.** In cœmterio, post sepulchri benedictionem, inhumatio tamquam defuncti vel defunctæ reditus ad humum de qua Deus hominem formavit, in resurrectionis exspectatione nonnullis symbolicis gestis (aspersione scilicet, incensatione, terræ proiectione) a ministro ordinato, si fieri potest, perficiatur.<sup>25</sup>

**21.** Deinde fiunt ultima suffragia sub forma orationis fidelium, cum invocationibus appropriatis vel supplicatione litanica longiore, quam concludit sacerdotalis intercessio.

#### QUALITAS ET NECESSARIA PROGRESSIO IN CELEBRATIONE

**22.** Varia huiusmodi momenta huc usque descripta per celebrationis progressionem adiuvant fratres vel sorores aliosve fideles ad christianum sensum vitæ et mortis profundius percipiendum atque ad spem resurrectionis excipiendam.

In diversis igitur elementis ordinandis, curetur ut diversi aspectus christianæ orationis exprimantur, ipsorum quidem momentorum propria indole servata eorumque relatione cum vita religiosa et familia defuncti vel defunctæ. Nonnumquam vero celebrationes valde simplices erunt, nonnumquam sollemniores.

**23.** In quavis pro defunctis celebratione, tum exsequiali tum etiam communi, magnum in ritu tribuitur momentum lectionibus verbi Dei. Ipsæ enim mysterium paschale proclaimant, spem afferunt iterum in Dei regnum simul conveniendi, pietatem edocent erga defunctos et ad christianæ vitæ testimonium passim exhortantur.<sup>26</sup>

**24.** In officiis pro defunctis exhibendis Ecclesia, ad dolorem exprimendum et ad fiduciam efficaciter fovendam, ad orationem psalmorum potissimum recurrit. Etiam in ceteris cantibus tum « suavis et vivus sacrae Scripturae affectus »<sup>27</sup> tum Liturgiæ afflatus sedulo currentur.<sup>28</sup>

Item, sicut iam revocatum est in *Proprio Officiorum O.P.*,<sup>29</sup> præstat ut communites Ordinis nitantur in cantibus etiam pro liturgia de-

<sup>25</sup> Cf. ASOP 1977, p. 154, nn. 33-34.

<sup>26</sup> OE, n. 11.

<sup>27</sup> SC, n. 24.

<sup>28</sup> Cf. OE, n. 12.

<sup>29</sup> LHOP, « Adn. compl. », nn. 20-29, pp. 13-17.

functorum seligendis vel creandis, qui sint nostræ sensibilitati liturgicæ appropriati.

**25.** Etiam in orationibus communitas christiana fidem suam profitetur atque pro defunctis pie intercedit, ut beatitudinem apud Deum consequantur. Pro defunctorum vero propinquis, preces effunduntur ut in dolore suo fidei consolationem accipient. In hoc igitur Rituali orationes inveniuntur quas « pro lugentibus » traditio nostra nuncupavit.<sup>30</sup>

## IV

### DE VARIIS EXSEQUIARUM TYPIS

#### TRES “TYPI” EXSEQUIARUM

**26.** Rituale Romanum<sup>31</sup> tres typos exsequiarum prævidet, iuxta diversitatem loci ubi ipsæ peraguntur, id est in ecclesia pro celebratio-ne principali, in sacello cœmeterii et ad sepulcrum, in domo defuncti vel defunctæ.<sup>32</sup>

Funera in hoc Rituali Ordinis descripta typum illum prævident qui consuetus est in Familia Dominicana. In quadam vero natione seu re-gione Capitulum provinciale vel cuiusdam Congregationis instantia, attentis necessitatibus particularibus, loci consuetudines illas recipere possunt, quæ sint a Conferentia Episcopali probatae. Tunc celebratio peragitur iuxta tales indicationes, facultate autem servata adhibendi nonnulla elementa ritus, textus vel cantus traditionis nostræ Dominicanæ.

#### CREMATIO

**27.** Licet Ecclesia consuetudinem sepeliendi corpora anteponat, sicut Dominus ipse voluit sepeliri, si alicubi, pro adjunctis, cadaveris crematio opportuna videtur, ritus exsequiarum ordinentur iuxta ea quæ statuta sunt a Sede Apostolica et pro illa regione aptata.

Ritus qui fiunt ad sacellum vel ad sepulcrum in hoc casu peragi possunt in ipsa aula crematorii, præsentibus quidem Priore necnon aliquibus fratribus ac familiaribus; vel, pro communitate religiosarum,

---

<sup>30</sup> Cf. OE, n. 13.

<sup>31</sup> OE, nn. 5, 6, 7, 8.

<sup>32</sup> Cf. OE, n. 4.

præsentibus Priorissa cum aliquibus sororibus, Cappellano necnon familiaribus.<sup>33</sup>

#### VITALIUM PROPRII CORPORIS DONUM

**28.** Sicubi frater vel soror, prudenti consilio exquisito, statuerit vitalium proprii corporis arti medicæ donationem perficere, varii exsequiarum ritus pro diversis momentis a morte usque ad sepulturam sanctificandis, alio modo peraguntur. Tempora, utique, orationis et supplicationum prævidenda sunt; attamen ritus ultimæ commendationis et valedictionis defuncti, ob corporis absentiam, in fine Missæ exsequialis perfici nequit.

## V

### DE OFFICIIS ET MINISTERIIS CIRCA DEFUNCTOS

#### CUM ADEST SACERDOS

**29.** In celebratione exsequiarum, Prior aliasve sacerdos (vel Cappellanus apud sorores), cum defunctos Deo commendat, meminerit suum insuper esse officium ut spem adstantium erigat fidemque foveat in mysterium paschale et in resurrectionem mortuorum, ita tamen ut, pium affectum Matris Ecclesiæ et fidei consolationem afferendo, credentes quidem allevet, marentes tamen non offendat. Peculiarum insuper rationem habeat eorum qui occasione exsequiarum liturgicis celebrationibus assistunt vel Evangelium audiunt, sive sunt acatholici sive catholici qui Eucharistiam vel numquam vel vix umquam participant, vel etiam fidem amisisse videntur: pro omnibus enim sacerdotes ministri sunt Evangelii Christi.<sup>34</sup>

#### IN ABSENTIA SACERDOTIS

**30.** Exsequiæ, sola Missa excepta, peragi possunt a diacono. In communitatibus vero monialium vel sororum, deficiente sacerdote vel diacono, Priorissa vel alia soror ad hoc deputata potest omnia ea peragere quæ a laicis fieri possunt.<sup>35</sup>

---

<sup>33</sup> Cf. OE, n. 15-

<sup>34</sup> Cf. OE, nn. 17-18 et 25.

<sup>35</sup> Cf. OE, nn. 19; 22,4°; 51; ASOP 1977, p. 145.

## VI

## DE APTATIONIBUS ET VERSIONIBUS PARANDIS

## DE MUNERE PROVINCiarum

**31.** Unicuique Provinciæ vel pluribus Provinciis unius regionis linguisticæ competit parare aptationes ac versiones huius Ritualis quas Sedi Apostolicæ pro confirmatione sunt mittendæ, id est:

a) versiones parare iuxta indicationes a Sede Apostolica nuper editas,<sup>36</sup> ita ut textus ingenio variarum linguarum singulisque cultibus sint vere accommodati, additis pro opportunitate melodiis cantui aptis;

b) quoties Rituale Romanum plures exhibit formulas ad libitum eligendas, alias formulas eiusdem generis adipisci (vide hic infra, d);

c) sicubi ratio pastoralis id suadeat, statuere ut aspersio et incensatio omitti possint, vel alio ritu suppleri;

d) in editionibus librorum liturgicorum, parandis cura singularum Provinciarum vel Provinciarum unius regionis linguisticæ, materiam ordinare modo qui ad usum pastoralem aptissimus videatur ita, tamen, ut de materia, quæ in hac editione typica continetur, nihil omittatur.

Si quas vero rubricas vel textus adipisci opportunum videatur, congruo signo vel charactere typographicō distinguantur a rubricis et textibus huius Ritualis.<sup>37</sup>

## DE VERSIONIBUS ATQUE APTATIONIBUS AD MAGISTRUM ORDINIS MITTENDIS

**32.** Unaquæque versio vel aptatio huius libri mittatur ad Magistrum Ordinis ut diligenter perspecta et, si necesse fuerit, correcta, ab eo rite approbetur antequam ab eodem ad Congregationem pro Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum transmittatur ut confirmationem accipiat.<sup>38</sup>

---

<sup>36</sup> CCDDS, Instr. *De usu linguarum popularium in libris liturgiae Romanæ edendis*, 28 mart. 2001.

<sup>37</sup> OE, n. 21.

<sup>38</sup> Cf. SCSCD, *De Calendariis particularibus atque Missarum et Officiorum Propriis recognoscendis*: “Notitiæ” 10, 1974, pp. 87-88; *ibid.* 13, 1977, pp. 557-558.

**DE MUNERE MINISTRI IN APTANDA ET ORDINANDA CELEBRATIONE**

**33.** Ritus hic propositus ita describitur ut maxima facilitate peragi possit; magna tamen textuum copia præbetur pro opportunitate selyendorum. Itaque, exempli gratia,

- 1) omnes textus cum aliis commutari possunt ad maiorem veritatem exprimendam, iuxta cuiusque celebrationis adiuncta;
- 2) quædam elementa non obligatorie determinantur, sed ad libitum addi possunt pro opportunitate, ut v. gr. oratio pro lugentibus;
- 3) quoties psalmus qui ratione liturgica indicatur vel suadetur, aliquam difficultatem pastoralem præbere potest, alius congruens assumi potest. Immo in psalmis ipsis unus alterve versus qui sub aspectu pastorali minus aptus videatur, omitti potest;
- 4) in orationibus, lineaæ quæ intra parenthesim continentur omitti possunt.<sup>39</sup>

\* \* \*

Indicationes et textus huius novæ sectionis Ritualis nostri nos adiuvent ut mortem uniuscuiusque nostrum aspiciamus tamquam consummationem itineris fidei et missionis, quod in Ordinem ingredientes incepimus misericordiam Dei et fratum<sup>40</sup> impetrantes.

---

<sup>39</sup> Cf. OE, n. 24.

<sup>40</sup> Cf. *I Const.*, d. I, c. 3.

# ORDO EXSEQUIARUM



## CAPUT I

### DELATIO VEL RECEPTIO CORPORIS DEFUNCTI IN ECCLESIAM

#### NOTA PRÆVIA

**1.** Ad indicationes servandas quæ ab Ecclesia in *Ordine Exsequiarum*<sup>1</sup> datæ sunt atque consuetudinibus Ordinis respectis, hoc Rituale varias indicationes præbet ut communites valeant sanctificare potiora momenta inter mortem et sepulturam fratris vel sororis.

Indicationibus quæ in *Processionario O.P.*<sup>2</sup> continentur ad mentem liturgiæ renovatae instauratis, hoc primum caput nostri *Ordinis Exsequiarum* quodammodo sequitur caput septimum *Ordinis Unctionis infirmorum eorumque spiritualis curæ*, quod 'De officio post obitum' inscribitur. Utrisque igitur capitibus perspectis omnes actiones liturgicæ invenientur quæ peragi solent statim post obitum fratris vel sororis.

Nonnullæ indicationes rituales necnon orationes quæ in capite 'De officio post obitum' continentur, opportunis aptationibus adhiberi possunt pro hac parte nostri *Ordinis Exsequiarum*.

**2.** Præsens caput tres typos stationis prævidet, sive communitatis congregatæ sive adstantium apud defunctum vel defunctam, id est:

- delationem corporis ad ecclesiam vel in alium locum aptum;
- receptionem corporis, cum ad conventum refertur ab exteriori;
- stationem vel orationem apud defunctum vel defunctam, cum corpus manet in funerario nosocomii vel valetudinarii aut, iuxta consuetudines loci, in obitorio.

**3.** Prior vel Priorissa, una cum delegato vel delegata pro liturgia communites, maxima cum diligentia varias actiones liturgicas ordinant. Quamquam plerumque his diversis momentis nonnisi pars communitatis adesse poterit, eorum ordinatio suam servat vim orationis et fraternæ caritatis.

---

<sup>1</sup> OE, n. 3.

<sup>2</sup> PS, pp. 186-190.

## I. DELATIO CORPORIS AD ECCLESIAM

**4.** Post exspirationem, ut indicatur in *Ordine Unctionis infirmorum eorumque spiritualis curæ*,<sup>3</sup> corpus defuncti vel defunctæ paratur iuxta consuetudines loci. Eo tempore vel mox haberi potest prima statio orationis. Postea delatio corporis ad ecclesiam vel alium locum aptum peragitur.

Hanc autem, si opportunum videtur vel adiuncta suggerunt, participat communitas vel saltem eius pars, brevem celebrationem peragens.

**5.** Antequam corpus efferatur, minister, stola indutus si est sacerdos vel diaconus, adstantes salutat atque, defuncto pro opportunitate aqua benedicta et thure asperso, alteram dicit ex orationibus sequentibus:

Deus, cui soli cōpetit  
medicinam præstare post mortem,  
præsta, quæsumus, ut ánima fámuli tui (fámulæ tuæ) N.,  
terrénis exúta contágiis  
in tuæ redemptiónis parte numeréatur.  
Per Christum Dóminum nostrum.<sup>4</sup>

**R.** Amen.

**Vel:**

Diri vúlneris novitáte percúlsi  
et quodámmodo sauciáti,  
misericordiam tuam, mundi Redémptor,  
flebílibus vócibus implorámus,  
ut cari fratrís nostri (caræ sorórís nostræ) ániam  
ad tuam cleméntiam, qui fons pietatis es, reverténtem,  
blande lenitérque suscípias;  
et si quas illa ex carnáli commoratióne contráxit máculas,  
tu Deus, sólita bonitáte cleménter déleas,  
pie indúlgeas, oblivióni in perpétuum tradas,  
atque hanc tibi laudem cum céteris redditúram,  
sanctórum cœtibus aggregári præcipias.  
Qui vivis et regnas in sǽcula sǽculórum.<sup>5</sup>

**R.** Amen.

---

<sup>3</sup> Cf. OUIISC, nn. 180; 181-186.

<sup>4</sup> *Sacr. Veron.*, ed. L.C. Mohlberg, n. 1147; *Eccl. Off.*, f. 57r; PS, p. 186.

<sup>5</sup> Gre, n. 4059; GeV, n. 1608; *Eccl. Off.*, f. 57r; cf. PS, p. 185 emend.

Etiam brevi lectio biblica fieri potest, ex. gr. Io 14,1-6 vel alias textus e Lectionario pro defunctis desumptus.

**6.** In processione ad ecclesiam vel ad alium locum aptum, psalmus 129 vel alias psalmus (ex. gr. 114-115, 120, 121) canitur cum antiphona, vel alias cantus. Processio autem ordinatur praeuentibus ministrantibus cum thuribulo et aspersorio, fratibus vel sororibus praecedentibus feretrum, sequentibus autem celebrante et ministrante librum ferente.

**7.** In ecclesia feretrum deponitur in medio chori vel presbyterii. Pro opportunitate, servari potest consuetudo Ordinis,<sup>6</sup> quae est etiam in aliis liturgiis latinis, defunctum ponendi ita ut facies eius semper altare respiciat, quicumque fuerit locus eius in cœtu liturgico; vel autem, iuxta consuetudinem recentiorem,<sup>7</sup> facie versa ad populum deponi potest, si fuerit sacerdos vel diaconus.

**8.** Hic fieri potest lectio biblica, si ante processionem (supra, n. 5) facta non fuerit.

Post silentii pausam, celebrans ad orandum invitat atque altera ex orationibus sequentibus dicit:

Omnípotens sempitérne Deus,  
qui humáno córpori ánimam  
ad similitúdinem tuam inspiráre dignátus es:  
dum te iubénte pulvis in púlverem reverténtur,  
tu imáginem tuam cum sanctis et électis tuis  
ætérnis sédibus præcípias sociári  
eámque de Ægýpti pártibus ad te reverténtem  
blande lenitérque suscípias,  
et ángelos tuos sanctos ei óbviam mittas  
viámque illi iustítiae demónstra  
et portas glóriæ tuæ áperi.  
Repélle, quásumus, Dómine,  
ab ea omnes príncipes tenebrárum  
et agnósce depósito fidéle quod tuum est.  
Súscipe, Dómine, creatúram tuam, non a diis aliénis créatam,  
sed a te solo Deo vivo et vero,  
quia non est alius Deus præter te, Dómine,  
et non est secúndum ópera tua.  
Lætífica, clementíssime Deus, ánimam servi tui<sup>8</sup> (ancíllæ tuæ) N.,

---

<sup>6</sup> Cf. COP, n. 1939; PS, p. 187.

<sup>7</sup> OE, n. 38.

<sup>8</sup> Cf. Ps. 85,8.4.

et clarifica eam in multitudine misericordiae tuæ;  
ne memineris, quæsumus,  
iniquitatum eius:  
licet enim peccaverit, tamen te non negavit,  
sed signo fideli insignitus (insignita),  
te, qui omnia et eum (eam) inter omnia fecisti, fideleriter adoravit.  
Per Christum Dominum nostrum.<sup>9</sup>

R. Amen.

Vel:

Misericordiarum Pater et Deus totius consolacionis,  
qui nos æterno amore prosqueris,  
qui umbram mortis in vitae vertis auroram,  
respice, quæsumus, famulos tuos in tribulacione gementes.  
(Esto, Domine, refugium nostrum et virtus,  
ut ex huius doloris tenebris et luctu  
ad praesentiæ tuæ lucem et pacem elevemur).  
Et quia Filius tuus Dominus noster  
mortem nostram moriendo destruxit  
et vitam resurgendo reparavit,  
concede, quæsumus, ut ad eum sic curramus,  
ut post mortalis vitae cursum,  
ibi aliquando cum fratribus adunemur,  
ubi omnes lacrimae ab oculis abstergentur.  
Qui tecum vivit et regnat in saecula saeculorum.<sup>10</sup>

R. Amen.

**9.** Circa feretrum cereus paschalis convenienter ponitur et aqua benedicta, necnon liber Sacrarum Scripturarum, utpote signum ministerii verbi Dei cui frater vel soror defuncta vitam impenderat.<sup>11</sup>

**10.** Sicubi, pro adjunctis loci vel personarum, processio ordinari nequit ad transferendum corpus ad ecclesiam, momentum utique celebrationis prestat previderi, cum corpus in ecclesia deponitur vel in loco apto. Tunc vero indicationes hic supra datae<sup>12</sup> servantur.

---

<sup>9</sup> Cf. ASOP 1977, p. 152 et 252 sq. (emend.); Gre, n. 4077; Eccl. Off., f. 57r; PS, p. 184.

<sup>10</sup> OE, n. 34.

<sup>11</sup> ASOP 1977, p. 147, n. 15.

<sup>12</sup> «Intr. gen.», n. 19.

**11.** Si immediate post delationem corporis defuncti vel defunctæ in ecclesiam, Hora Officii est celebranda, atque si ille dies in Tabula dierum liturgicorum<sup>13</sup> sub nn. 1-9 non est recensitus, tunc post processionem cum suo cantu, omissa versu Deus, in adiutorium meum intende, statim canitur hymnus et post psalmiodiam fiunt lectio et oratio ut supra (n. 8).

Si vero Missa exequialis immediate sequitur delationem corporis in ecclesiam, cantus processionis pro cantu ad introitum habetur.<sup>14</sup>

Si, occasione alicuius celebrationis, præsentia corporis defuncti in choro vel in presbyterio videtur incongrua, hoc transferri licet sive in aliquam ecclesiæ partem sive in capitulum vel alium locum idoneum.

## II. RECEPTIO CORPORIS DEFUNCTI IN CONVENTUM

---

**12.** Sicubi frater vel soror extra conventum moritur, corpus refertur sine solemnitate ac statim pietatis officia post obitum consueta eidem exhibentur.

In huiusmodi causis, omnia fiunt ut in *Ordine Unctionis infirmorum eorumque spiritualis cure*<sup>15</sup> indicatur.

---

**13.** Sicubi feretrum in conventum defertur aliquanto ante celebrationem exequiarum, ritus receptionis in ecclesiam vel in locum conventus aptiorem modo sequenti ordinatur.

**14.** Pulsante signo, fratres vel sorores convenienti ad ianuam domus, ut corpus defuncti recipiant. Prior vel Priorissa aut Cappellanus, habitu convenienti induito, apud feretrum stat inter fratres vel sorores aquam benedictam, thus et liberum ferentes. Si crux quoque affertur, ad pedes defuncti vel defunctæ ponitur.

### Initium celebrationis

**15.** Post salutationem et monitionem, is qui (vel ea quæ) celebrationi præest fratres, sorores, familiares si adsunt invitati ad Deum laudandum, verbis sequentibus vel aliis:

Benedictus Deus Pater,  
Dominus vitæ ac mortis:  
ipsi glória et honor  
nunc et semper et in saecula saeculorum.

**R.** Amen.

---

<sup>13</sup> MR<sup>3</sup>, pp. 101 sq.; LH I, pp. 95 sq.

<sup>14</sup> OE, n. 37.

<sup>15</sup> Cf. OUISC, nn. 176 sqq.

Benedictus Deus Filius,  
immortalis Rex, mortis triumphator:  
ipsi sapientia et benedictio  
nunc et semper et in saecula saeculorum.

R. Amen.

Benedictus Deus Spiritus Sanctus,  
afflatus vitae, ignis divinus, lux indeficiens:  
ipsi virtus et laus  
nunc et semper et in saecula saeculorum.

R. Amen.

Tunc celebrans corpus thurificat.

### Processio ad chorum vel presbyterium

**16.** In delatione corporis ad ecclesiam canitur responsorium Subvenite sancti Dei vel psalmus (129 vel 114-115 vel 120 vel 121) cum antiphona vel alias cantus. Processio autem ordinatur praewentibus ministris cum thuribulo et aspersorio, fratibus vel sororibus praecedentibus feretrum, sequentibus autem celebrante et ministro librum ferente.

**17.** In ecclesia feretrum deponitur in medio chori vel presbyterii, ut supra (n. 7).

**18.** Circa feretrum, ubi crux deponitur, disposita sint cereus paschalis et aspersorium, necnon liber Sacrarum Scripturarum (cf. supra, n. 9).

### Celebratio lucis et verbi Dei

**19.** Tunc celebrans monitionem facit antequam cereum paschale accendat et textus biblicus recitetur. Verba autem sequentia vel alia similia adhibere potest:

Hac hora convénimus, fratres (sorores),  
ad preces ac supplicatiōnes faciéndas  
pro fratre nostro dilectissimo N.,  
(pro sorore nostra dilectissima N.),  
qui (quae) óculos clausit lúmini huius mundi  
ut eos aperíret ad fulgórem aetérnum.  
Scimus enim pars hóminis in ténebris ac morte non finiri,  
sed in lúmine ac vita consummári.  
Committámus ígitur Deo fratrem nostrum (sororem nostram):  
ipse (ipsa) nunc exstat in conspéctu Patris,

qui fons est lúminis,  
in conspéctu Christi,  
qui est lucérrna Civitátis ætérnæ,  
in conspéctu Spíritus,  
qui ardet et lucet.

Deinde accenditur cereus paschalis atque, ad libitum, cerei altaris vel alia lumina quæ sunt in presbyterio, præsertim si qua Hora Divini Officii est celebranda.

**20.** Si vero quædam pars Liturgiæ Horarum tunc non celebratur, legitur tex-tus Ioannis 14,1-6 vel alias e Lectionario defunctorum desumptus.

Deinde post silentii pausam celebrans aspergit feretrum dicens verba sequen-tia vel similia:

Baptísmus aquæ et Spíritus  
in te perficiártur,  
ut morti Christi consociátus (consociáta)  
de resurrectióne eius mereáris vívere.

Omnes respondent:

Amen.

**21.** Tunc cani potest antiphona Salve Regína in nota Ordinis ac deinde cele-brans (Prior scilicet vel Cappellanus vel Priorissa) adstantes dimittit:

Eámus nunc in pace,  
mémores tamen fratris nostri defúncti  
(sorórís nostræ defúnctæ).

**22.** Si immediate post delationem corporis defuncti vel defunctæ in eccl-e-siam, Hora Officii est celebranda, atque si ille dies in Tabula dierum liturgicorum<sup>16</sup> sub nn. 1-9 non est recensitus, tunc post processionem cum suo cantu, omissó ver-su Deus, in adiutorium meum inténde, statim canitur hymnus et post psalmodiam fiunt lectio et oratio ut supra (n. 8).

Si vero Missa exsequialis immediate sequitur delationem corporis in eccl-e-siam, cantus processionis pro cantu ad introitum habetur.<sup>17</sup>

Si, occasione alicuius celebrationis, præsentia corporis defuncti in choro vide-tur incongrua, hoc transferri licet sive in aliquam ecclesiæ partem sive in capitu-lum vel alium locum idoneum.

---

<sup>16</sup> MR<sup>3</sup>, pp. 101 sq.; LH I, pp. 95 sq.

<sup>17</sup> OE, n. 37.

### III. DE MANSIONE FERETRI IN FUNERARIO

**23.** Sicubi frater vel soror moritur in nosocomio vel valetudinario, legibus loci respectis corpus eius de more in conventum non potest referri. Indicationes igitur hic infra præbentur ad assistentiam fraternalm ac orationem ordinandam.

**24.** Quatenus fieri possit, decessu ab officialibus nosocomii nuntiato, præstat ut Prior vel Priorissa aut eius delegatus vel delegata, aliquo fratre vel aliqua sorore comitante statim ad defunctum vel defunctam accurrant.

Pro hoc tempore orationis adhiberi possunt ea quæ indicantur in capite septimo *Ordinis Unctionis infirmorum eorumque spiritualis curæ*, eas iuxta adiuncta aptando.

Tunc vel subinde, consilio cum officialibus nosocomii inito, curetur ut frater vel soror defuncta habitu Ordinis induatur, pro opportunitate.

**25.** Dum corpus manet in funerario et antequam feretrum obsignetur, præstat ut fratres vel sorores vel familiares adire possint ad orandum apud defunctum vel defunctam. Ad hoc igitur indicationes præbeantur sive communitatí sive familiaribus et amicis.

## CAPUT II

### PRECES APUD DEFUNCTUM

#### NOTA PRÆVIA

**26.** Pro precibus statim post obitum dicendis etiam caput septimum *Ordinis Unctionis infirmorum eorumque spiritualis curæ* indicationes præbet. Hoc vero caput *Ordinis exsequiarum O.P.* indicationes recipit Capituli generalis anni 1974 “De oratione pro defuncto” et “De oratione quando corpus in feretro deponitur”.<sup>1</sup>

**27.** Tempus orationis pro defuncto vel defuncta sive momenta meditationis apud eos nonnumquam simplicius seu familiarius peragentur, extra formas liturgice ordinatas. Memorari utique præstat quod iuxta traditionem Ecclesiæ communitas christiana præsertim psalmos adhibens suam vocem præbet defuncto vel defunctæ, ut ipsius supplicatio apud Deum innotescat atque communitas suam fidem circa Dei promissiones declaret. Omnibus quidem momentis huius liturgiæ, Ecclesia, ac nos una cum ea, assumimus verba Iob dicentis: « Scio quod redemptor meus vivit et in novissimo super pulvere stabit ».<sup>2</sup>

#### I. PRECES SIMPLICES

**28.** Quantum possunt, fratres vel sorores adeant ad orandum vel meditandum apud defunctum vel defunctam, sive corpus in conventu sit sive in funerario. Pro hac oratione legere possunt psalmos vel alios textus Sacrarum Scripturarum<sup>3</sup> vel etiam in silentio meditari.

**29.** Pro “officio post obitum” in *Ordine Unctionis infirmorum eorumque spiritualis curæ*<sup>4</sup> proposito, et præter ea quæ hic infra dicuntur de Liturgia Horarum vel celebratione verbi Dei (nn. 30-32), fieri potest vigilia orationis apud corpus defuncti, quam pro opportunitate participare possunt eiusdem familiares vel proximi.

Ad mentem liturgiæ<sup>5</sup> ordinata, hæc celebratio simplicior sit ac familiarior, ut pote vitam fraternalm exprimens. Inter hanc igitur orationem commemorari potest frater vel soror atque de communi vocatione apostolica gratiarum actio Deo fieri

---

<sup>1</sup> ASOP 1977, p. 148, nn. 16, 17, 18.

<sup>2</sup> Iob 19,25.

<sup>3</sup> ASOP 1977, p. 148, n. 16.

<sup>4</sup> OUISC, nn. 181-194.

<sup>5</sup> OE, nn. 27-28.

potest. Inter preces communes christifidelium præstat ut locum præcipuum habeat professio fidei. Unusquisque etiam signum proprium invenire poterit quod suam demonstret sollicitudinem erga eum qui (vel eam quæ) decessit.

In Appendice<sup>6</sup> vero inveniri possunt indicationes pro hac celebratione ordinanda ac etiam textus ad introducendam Orationem Dominicam vel Ave Maria vel Symbolum.

## II. LITURGIA HORARUM VEL CELEBRATIO VERBI DEI

**30.** Officium Defunctorum quod dicendum est post mortem fratris vel sororis collocari debet in progressione suffragiorum,<sup>7</sup> quorum culmen erit Sacrificium eucharisticum<sup>8</sup> pro defuncto vel defuncta.<sup>9</sup>

**31.** Officium Defunctorum semel ac in toto celebrari decet pro defuncto fratre vel sorore, loco Officii diei, extra dominicas, sollemnitates, festa Domini quæ inscripta sunt in Calendario generali, ferias Quadragesimæ et Hebdomadæ Sanctæ, dies infra octavas Paschæ et Nativitatis, necnon ferias a die 17 ad diem 24 decembrios inclusive.

Istis vero diebus commemoratio defuncti fieri potest in aliquibus partibus Liturgiæ Horarum, scilicet ad Officium lectionis, ad Laudes matutinas et ad Vesperas, sive per antiphonam Invitatorii, sive per hymnum sive per lectionem alteram e Patrum vel auctorum ecclesiasticorum scriptis desumptam, sive per lectionem brevem cum suo responsorio, sive per antiphonam ad Benedictus et Magnificat, sive per preces litanicas, sive per orationem conclusivam.<sup>10</sup>

**32.** Si Officium Defunctorum nec in toto nec ex parte celebratur, hora competenti haberi potest celebratio verbi Dei,<sup>11</sup> non tamen immediate ante Missam defunctorum, ne ritus nimis gravetur neve liturgia verbi duplicari videatur.

Huiusmodi celebratio fieri potest in connexione cum Hora Completorii. Tunc haberi possunt lectiones biblicæ et patristicæ, quæ mortis christianæ sensum exprimant foveantque, interiectis cantibus, desumptis præsertim e psalmis vel ex hymnis Officii Defunctorum.

**33.** Varia schemata hic infra in Appendice<sup>12</sup> inveniri possunt pro huiusmodi celebratione necnon nonnullæ indicationes pro ea quæ fiat in connexione cum Luternario.

<sup>6</sup> Infra, p. 79 sqq.

<sup>7</sup> Cf. LCO, nn. 73 § I et III; 75; LCM, n. 16; 20; vide etiam infra, caput VI, pp. 71-75.

<sup>8</sup> OE, n. 10.

<sup>9</sup> ASOP 1977, p. 148, n. 17.

<sup>10</sup> Cf. *Cæremoniale Episcoporum*, n. 1160; IGLH, n. 245; *Documentorum explanatio: "Notitiæ"* 16, 1980, p. 474.

<sup>11</sup> Cf. OE, nn. 26 et 29.

<sup>12</sup> Infra, p. 83 sq.

### III. DE ORATIONE QUANDO CORPUS IN FERETRUM DEPONITUR

**34.** Depositio corporis fratris vel sororis in feretrum seu eiusdem obsignatio momentum est doloris, cum facies est relinquenda eius quem vel quam dileximus, cui vinculis sanguinis vel vocationis coniuncti fuimus.

Prior vel Priorissa et Cappellanus, cum fratribus vel sororibus atque familiaribus defuncti vel defunctæ, si adsunt, orare possunt elementa adhibentes quæ in Rituali Romano vel hic infra sunt præbita.<sup>13</sup>

Initium celebrationis

**35.** Celebrans adstantes salutat his vel similibus verbis:

Pio recordatiōnis afféctu,  
fratres caríssimi (*soróres caríssimæ*),  
commemoratiōnem faciámus fratris nostri (*soróris nostræ*) N.,  
quem (*quam*) Dóminus de hoc sǽculo ad se vocávit,  
obsecrántes misericórdiam Dei nostri  
ut tríbuat ei plácidam et quiétam mansiōnem in ætérnum.<sup>14</sup>

Vel:

Ad te levámus óculos nostros, Dómine,  
in hora qua fáciem amíttimus eius quem (*quam*) dilígimus.  
ei dona ut fácie ad fáciem  
quandóquidem te possit contemplári  
ac in nobis spem róbora  
eum (*eam*) vidéndi dénuo apud te  
in sǽcula sæculórum.<sup>15</sup>

Lectio verbi Dei atque psalmodia

**36.** Quidam vel quædam ex adstantibus legit textum hic propositum, nisi alius textus, vel longior, pro defuncto vel defuncta magis congruus videatur.

<sup>13</sup> Cf. OE, n. 30; ASOP 1977, p. 148, n. 18; p. 153, n. 31.

<sup>14</sup> *Ordo exseq. monast.* 1973, n. 28; cf. Gre, n. 1398; GeV, n. 1607; *Eccl. Off.*, f. 65r; PS, p. 198 emend.; cf. ASOP 1977, p. 152 n. 28.

<sup>15</sup> *Rituel français des défunt*s, II: *À la maison*, Paris 1972, p. 30.

**2 Co 5,1**

Scimus quoniam si terréstris domus nostra huius tabernáculi dissolváatur, ædificatióнем ex Deo habémus domum non manufáctam, ætérnām in cælis.

Vel:

**Col 3,3-4**

Mórtui enim estis, et vita vestra abscónrita est cum Christo in Deo! Cum Christus apparúerit, vita vestra, tunc et vos apparébitis cum ipso in glória.

Vel:

**Rom 6,8-9**

Si mórtui sumus cum Christo, crédimus quia simul étiam vivémus cum eo; sciéntes quod Christus suscitátus ex mórtuis iam non móritur, mors illi ultra non dominátur.<sup>16</sup>

**37.** *Dum corpus defuncti vel defunctæ deponitur in feretrum, dici vel cani potest unus aliusve e psalmis sequentibus cum suis antiphonis.<sup>17</sup>*

**Ant.** Credo vidére bona Dómini in terra vivéntium (**PS**, p. 251);

**Ps 26:** Dóminus illuminátio mea.

**Ant.** In loco páscuæ ibi me collocávit (**PS**, p. 248);

**Ps 22:** Dóminus pascit me.

**Ant.** Suscípiat te Christus, qui vocávit te: et in sinum Ábrahæ ángeli dedúcant te (**PS**, p. 183);

**Ps 113,1-20:** In éxitu Ísrael de Ægýpto.

**Ant.** Placébo Dómino in regióne vivórum (**PS**, p. 229);

**Ps 114:** Diléxi quóniam exáudit Dóminus.

**38.** *Ante feretri obsignationem – si tunc utique habetur – Prior vel Priorissa thurificare potest ac aqua benedicere corpus defuncti vel defunctæ; fratres vel so- rores adstantes eandem benedictionem dare possunt.*

<sup>16</sup> Cf. OE, n. 30.

<sup>17</sup> Vide etiam ‘Textus diversos pro liturgia verbi vel pro vigiliis circa defunctum’, infra, pp. 79-83.

## Conclusio

**39.** Ritus concluditur aliqua ex orationibus sequentibus, ac deinde benedictione finali. Si vero facienda est processio ad ecclesiam, aliqua e formulis sequentibus dicitur cum corpus iam in feretrum depositum pervenit in chorum vel in presbyterium.

Súscipe, Dómine, ánimam servi tui (*ancíllæ tuæ*) N.  
 quam de hoc sǽculo ad te vocáre dignátus es,  
 ut, absolúta ómnium vínculo peccatórum,  
 quiétis ætérnæ beatitúdine perfruátur  
 et inter sanctos et eléctos tuos  
 in resurrectióni glória resuscitári mereátur.  
 Per Christum Dóminum nostrum.<sup>18</sup>

**R.** Amen.

**Vel:**

Tibi, Dómine, fratrem nostrum (*sorórem nostram*)  
 humíliter commendámus,  
 ut, quem (*quam*) in hac vita mortáli  
 imménso semper es prosecútus amóre,  
 nunc, a malis ómnibus liberátum (*liberátam*),  
 in réquiem íngredi iúbeas sempitérnam.  
 Tuam ergo cleméntiam deprecámur,  
 ut, quia prima iam transíerunt,  
 illum (*illam*) in paradísum tuum benígne perdúcias,  
 ubi neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra,  
 sed pax et gáudium, cum Fílio tuo et Spíritu Sancto,  
 in sǽcula sǽculórum.<sup>19</sup>

**R.** Amen.

**40.** Postea celebrans potest dicere benedictionem conclusivam, atque adstantes dimittit.

Benedícat vos Deus totíus consolatiónis,  
 qui hóminem ineffábili bonitáte creávit,  
 et in resurrectióne Unigéniti sui spem  
 credéntibus resurgéndi concéssit.<sup>20</sup>

**R.** Amen.

---

<sup>18</sup> Cf. Gre, n. 1400; *Eccl. Off.*, f. 57r; PS, p. 186 emend.

<sup>19</sup> OE, n. 168.

<sup>20</sup> LHOP, p. 521.

**41.** Si tunc corpus est deferendum in ecclesiam, adhiberi potest unus vel plures e psalmis 114-115, 50, 120, 125, cum antiphona sequenti:

Chorus angelorum eum (eam) suscipiat,  
et in sinu Ábrahæ eum (eam) collocet  
et cum Lázaro quondam páupere  
ætérnam hábeat réquiem.<sup>21</sup>

Adhiberi potest etiam responsorium Líbera me, Dómine<sup>22</sup> vel aliud, e liturgia defunctorum desumptum.

**42.** In ecclesia feretrum deponitur in medio chori vel presbyterii, ut supra (n. 7).

Processio concludi potest altera ex orationibus supra (n. 39) præbitis, nisi sint dictæ post obsignationem feretri. Deinde celebrans benedicit adstantes (n. 40).

**43.** Cum defunctus mortuus sit extra conventum atque huc feretrum referatur ante Missam exsequiarum, communitas id recipit ad ianuam ecclesiæ ac dicit processionaliter in chorum. Ad hoc adhiberi possunt elementa liturgica in Rituali<sup>23</sup> proposita.

---

<sup>21</sup> PS, p. 185.

<sup>22</sup> OE, n. 191; cf. PS, p. 283.

<sup>23</sup> Supra, cap. I, pp. 31 sqq.; cf. OE, nn. 36 et 33-34.

## CAPUT III

### **MISSA EXSEQUIARUM ET RITUS ULTIMÆ COMMENDATIONIS SEU VALEDICTIONIS**

#### NOTA PRÆVIA

**44.** Missa exsequiarum fratris vel sororis Ordinis iuxta indicationes Ritualis Romani peragitur, suggestionibus quoque Ritualis Ordinis perpensis, cuius nonnulla elementa hic infra inveniuntur.

**45.** Sicubi corpus defuncti vel defunctæ nonnisi tempore Missæ ad domum religiosam deferatur, a conventu recipitur ante ianuam ecclesiæ. Deinde, dum processio in ecclesiam ingreditur, cantus cantari potest.

In ecclesia feretrum deponitur in medio chori vel presbyterii. Pro opportunitate, servari potest consuetudo Ordinis,<sup>1</sup> quæ est etiam in aliis liturgiis latinis, defunctum ponendi ita ut facies eius semper altare respiciat, quicumque fuerit locus eius in coetu liturgico; vel autem, iuxta consuetudinem recentiorem,<sup>2</sup> facie versa ad populum deponi potest, si fuerit sacerdos.

**46.** Pro ritibus initialibus indicationes Ritualis Romani observentur. Si defunctus est sacerdos, super feretrum stola ponatur. Etiam alia signa vitæ christianæ et religiosæ (ex. gr. liber Liturgiæ Horarum, Rosarium, etc.) poni possunt, quæ ad fratrem vel sororem sint magis appropriata.

**47.** Cum celebratio præparatur, consideretur an familiares vel amici defuncti adstant. Quo magis eorum participatio foveatur, rogentur de textibus eligendis vel legendis vel de oratione fidelium peragenda vel de donis afferendis vel de verbis in ultima valedictione proferendis.

Liturgia verbi magni momenti est ad mysterium paschale nuntiandum, ad christianam spem nutriendam et ad ministerium solacii præbendum. Ad homiliam vero complendam, per quam fidei mysteria sunt in primis illustranda nec panegyricus defuncti peragi debet,<sup>3</sup> adstantibus dari potest brevis textus, in quo vita fratris vel sororis commemoretur.

---

<sup>1</sup> Cf. COP, n. 1939; PS, p. 187.

<sup>2</sup> OE, n. 38.

<sup>3</sup> Cf. IGMR<sup>3</sup>, n. 382; OE, n. 45.

Etsi litaniæ Sanctorum pro ultima valedictione adhibeantur, oratio fidelium post homiliam dici potest.

Commendatur ut fideles, præsertim vero familiares, per sacram communio-nem Sacrificium eucharisticum pro defuncto vel defuncta oblatum participant.<sup>4</sup>

**48.** Iuxta adjuncta, celebrationi præest Prior conventus vel Prior provincialis; homiliam vero facere potest alius frater, sacerdos vel diaconus, qui defunctum vel defunctam bene noverit.<sup>5</sup> Præstat ut omnes adstantes qui sint sacerdotes concele-brent.

**49.** Ritus exsequiarum aliter peragitur sicubi communitas fratrum vel soro-rum habeat cœmeterium domui religiosæ contiguum ac totum cœtum liturgicum illud adire possit vel sicubi communitas in publico cœmeterio suum habeat sepul-crum, ubi nonnisi aliqui sepulturæ adesse possint.

Iuxta primum casum, ritus habebitur continuus, in ecclesia scilicet celebratio Missæ ac initium ultimæ valedictionis, deinde processio ad cœmeterium et hic, de-nique, ritus sepulturæ amplior. Iuxta secundum casum, ritus habebitur intermis-sus, in ecclesia scilicet celebratio Missæ ac ultima valedictio, deinde in cœmeterio ritus sepulturæ simplicior.

## I. MISSÆ PRO DEFUNCTIS ATQUE MISSA EXSEQUIARUM

**50.** Præsente defuncto vel defuncta, non solum Missa exsequialis, sed omnes aliæ Missæ, nisi obstat aliqua obligatio particularis, pro eo vel ea celebrantur, quo-ties fieri potest ad normam Institutionis Generalis Missalis Romani, scilicet:

a) Missa exsequialis celebrari potest omnibus diebus, exceptis sollemnita-tibus de præcepto, feria V Hebdomadæ sanctæ, Triduo paschali et dominicis Adventus, Quadragesimæ et Paschæ, servatis insuper omnibus servandis ad nor-mam iuris.<sup>6</sup>

b) Missa vero post acceptum mortis nuntium celebrari potest etiam diebus infra octavam Nativitatis, diebus quibus occurrit memoria obligatoria aut feria quæ non sit IV Cinerum aut Hebdomadæ sanctæ.<sup>7</sup>

**51.** Pro Missis exsequiarum, Missale et Lectionarium Romanum adhi-beantur vel alia formularia, ab Ordine vel a Provinciis parata. Inter varias pre-ces, illæ potius seligentur quæ “Pro sacerdotibus” vel “Pro religiosis defunc-tis” præbentur.

---

<sup>4</sup> OE, n. 44.

<sup>5</sup> Cf. supra, « Intr. gen. », n. 11 b.

<sup>6</sup> IGMR<sup>3</sup>, n. 380.

<sup>7</sup> IGMR<sup>3</sup>, n. 381.

## II. ULTIMA COMMENDATIO ET VALEDICTIO

**52.** Sicubi conventus vel communitas suum cœmeterium non habeat vel sicubis ipsum facile adiri non possit, ritus ultimæ commendationis et valedictionis in ecclesia peraguntur in fine Missæ, oratione post communionem expleta, aut alio momento, si Missa non tunc celebrata erit.

Deinde Prior, Cappellanus, Priorissa ac nonnulli fratres vel sorores una cum familiaribus defuncti vel defunctæ comitantur feretrum ad cœmeterium, ubi adhiberi possunt orationes ad hoc infra (nn. 84 sqq.) præbitæ.

**53.** Quando neque Missa neque aliqua Hora divini Officii præcesserit, Prior vel Cappellanus, stola induitus, potest adstantes salutare verbis quæ initio Missæ adhibentur vel sequentibus:

Deus spei réplete vos omni pace in credéndo  
ut abundétis in spe et virtúte Spíritus Sancti,<sup>8</sup>  
et Dóminus sit semper vobíscum.

Omnés respondent:

Amen.

### Monitio

**54.** Prior vel celebrans, una cum fratribus vel sororibus aut concelebrantibus, stat apud feretrum, ministrantibus aquam benedictam et thus ferentibus. Tunc monitionem sequentem dicit, eam aptans iuxta personam defuncti, sive frater sacerdos fuerit sive frater non sacerdos sive monialis sive religiosa vitæ apostolicæ sive sodalis fraternitatis laicalis. Hæc igitur dicit vel similia:

Débitum humáni córporis sepeliéndi offícium fidélium more compléntes, fratres caríssimi (soróres caríssimæ), Deum cui ómnia vivunt fidéliter deprecémur, ut corpus cari fratris nostri (caræ soróris nostræ) N., a nobis in infirmitáte sepúltum, in órdine sanctórum suórum resúscitet, et eius spíritum sanctis ac fidélibus suis aggregári iúbeat, cum quibus inenarrábili glória et perénni felicitáte pérfrui mereátur, præstánte Dómino nostro Iesu Christo.<sup>9</sup>

<sup>8</sup> Cf. *Rom* 15,13.

<sup>9</sup> ASOP 1977, p. 158; Gre, nn. 1413 et 4062; *Eccl. Off.*, f. 65v.; cf. PS, p. 205; OE, n. 65.

**Vel:**

Frater noster (Soror nostra) N. in pace Christi obdormívit. In fide et spe vitæ ætérnæ, eum (eam) Patris nostri amantíssimæ misericórdiæ commendémus, eúmque (eámque) précibus nostris comitémur, ut qui (quæ), adoptiónem filiórū Dei in Baptísmate consecútus (consecúta), ad Dómini mensam tóties ástitit saginándus (saginánda), nunc ad mensam filiórū advocétur in cælis, et cum sanctis heres fiat repromissiónis ætérnæ. Et pro nobis étiam Dóminum deprecémur, ut, qui nunc flentes gérimus, aliquándo una cum fratre nostro (sorore nostra) óbviā Christo ire possímus, cum Ipse, vita nostra, apparébit in glória.<sup>10</sup>

### Cantus valedictionis

**55.** Post pausam silentii, chorus et omnes adstantes canunt responsum vel cantum aptum, dum Prior vel celebrans principalis aspergit et thurificat fētrum.

Si placet, ut pro aptationibus linguisticis *Ordinis exsequiarum* prævidetur, monitiones fieri possunt ante aspersionem et thurificationem vel una monitio ante utrasque.

**56.** Interea cantatur responsum:

Credo quod Redémptor meus vivit  
et in novíssimo die de terra surrectúrus sum:  
et in carne mea vidébo Deum \* Salvatórem meum.

**V** Quem visúrus sum ego ipse et non álius  
et óculi mei conspectúri sunt.

\* Salvatórem meum.<sup>11</sup>

Adhiberi potest etiam antiphona Clementíssime (infra, n. 79),<sup>12</sup> in Ordine usitata, vel responsum ad sanctum Dominicum (ex. gr. O spem miram) vel elementum e selectione infra in Appendice (p. 81) præbita.

---

<sup>10</sup> OE, n. 183.

<sup>11</sup> PS, p. 245; cf. OE, n. 189.

<sup>12</sup> Cf. MLOP, p. 501 sq.; cf. *Eccl. Off.*, f. 65v.

## Oratio conclusiva

**57.** Deinde Prior vel celebrans dicit orationem:

Deus, cui ómnia vivunt  
 et cui non pereunt moriendo corpora nostra,  
 sed mutantur in melius,  
 te supplices deprecamur  
 ut quicquid famulus tuus **N.** frater noster  
 (famula tua **N.** soror nostra)  
 voluntati tuae contrarium propria fragilitate contraxit,  
 tu pius et misericors abluas indulgendo  
 eumque (eamque) suscipi iubeas  
 per manus sanctorum angelorum tuorum,  
 deducendum (deducendam) in sinum patriarcharum tuorum,  
 Abrahæ scilicet amici tui et Isaac dilecti tui  
 atque Iacob electi tui,  
 quo fidèles tui felici iucunditate laetantur;  
 et in novissimo magni iudicii die inter sanctos et electos tuos  
 eum (eam) facias perpetuae gloriae percipere portionem,  
 quam oculus non vidit nec auris audivit  
 et in cor hominis non ascendit,  
 quam preparasti diligenteribus te.  
 Per Christum Dominum nostrum.<sup>13</sup>

**R.** Amen.

**Vel:**

In manus tuas, clementissime Pater,  
 fratris nostri (sororis nostræ) animam commendamus,  
 spe certa suffulti eum (eam), sicut omnes in Christo defunctos,  
 cum Christo esse resurrectum (resurrecturam) in novissimo die.  
 Tibi gratias agimus,  
 pro omnibus beneficiis, quibus famulum tuum  
 (famulam tuam) in hac vita mortali ita cumulasti,  
 ut eadem nobis signa tuae fherent bonitatis  
 et beatæ sanctorum communione in Christo.  
 Panteant ergo, Domine, precibus nostris  
 aures misericordiae tue,

---

<sup>13</sup> ASOP 1977, p. 158; cf. Gre, n. 4067; *Eccl. Off.*, f. 64v.

ut portæ paradísi aperiántur fámulo tuo (*fámulæ tuæ*),  
 et étiam nos, qui relínquimur,  
 ínvicem consolémur in verbis fídei  
 donec occurrámus omnes in Christo,  
 et sic semper tecum  
 et cum fratre nostro (*soróre nostra*) esse possímus.  
 Per Christum Dóminum nostrum.<sup>14</sup>

R. Amen.

Vel:

Diri vúlneris novitáte percúlsi  
 et quodámmodo córdibus sauciáti,  
 misericordiam tuam, mundi Redémpтор,  
 flebílibus vócibus implorámus,  
 ut cari fratris nostri (*caræ soróris nostræ*) ánimam  
 ad tuam cleméntiam, qui fons pietátis es, reverténtem,  
 blande lenitérque suscípias;  
 et si quas illa ex carnáli commoratióne contráxit máculas,  
 tu Deus, sólita bonitáte cleménter déleas,  
 pie indúlgeas, oblivióni in perpétuum tradas,  
 atque hanc tibi laudem cum céteris redditúram,  
 sanctórum cœtibus aggregári præcipiás.  
 Qui vivis et regnas in sǽcula sǽculórum.<sup>15</sup>

R. Amen.

**58.** Aliæ orationes communes Ordinibus qui Regulam beati Augustini se-  
 quuntur inveniuntur infra in Appendix, IV, p. 104.

---

**59.** Si, loco antiphonæ Clementíssime (*infra*, n. 79)<sup>16</sup> canendæ sunt litaniæ  
 sanctorum Ordinis, eas Prior vel Priorissa his verbis introdicit:

Frater noster (*Soror nostra*) N. in pace Christi obdormívit:  
 in fide et spe vitæ ætérnæ  
 eum (*eam*) commendémus Deo Patri nostro,  
 qui eum (*eam*) díligit.

---

<sup>14</sup> OE, n. 48.

<sup>15</sup> Gre, n. 4059; GeV, n. 1608; *Eccl. Off.*, f. 57r; PS, p. 185 emend.

<sup>16</sup> Cf. MLOP, p. 501 sq.

Oratióne nostra eum (eam) comitántes,  
omnes sanctos Órdinis nostri invocémus pro eo (ea),  
ut cum eis hereditátem ætérnam accípere mereátur.

Tunc cantoribus incipientibus omnibusque respondentibus litaniæ canuntur,  
ut in Appendixe, IV, p. 103.

Deinde qui præest dicit orationem:

Orémus.

Deus vivens resuscitáre dignétur  
fratrem nostrum (sorórem nostram) N.  
eúmque (eámque) in societátem sanctórum introdúcat,  
ut cum eis glória ineffábili et gáudio sine fine fruátur.  
Per Christum Dóminum nostrum.

R. Amen.

Tunc qui præest aspergit aqua benedicta et thure corpus defuncti vel de-  
functæ, quo facto unam dicit ex orationibus supra positis.

---

**60.** Sicubi conventus nondum cantare potuit Salve Regína apud corpus  
defuncti vel defunctæ, nunc cantet. Tunc adstantes feretrum aqua benedicta asper-  
gere possunt.

**61.** Ritibus commendationis expletis, fratres vel sorores comitantur feretrum  
processionaliter usque ad ianuam ecclesiæ, canentes ant. In paradísum vel Chorus  
angelórum (n. 68) vel alium cantum aptum (in Appendixe, I, p. 81).

## CAPUT IV

### DELATIO CORPORIS DEFUNCTI AD CŒMETERIUM ET SEPULTURA

#### NOTA PRÆVIA

**62.** Condicionibus perspectis quibus communitates nostræ notantur, duobus modis peragitur delatio corporis ab ecclesia (vel a sacello cœmeterii) ad ipsum locum sepulturæ, ut dictum est supra (n. 49): ritus scilicet continuus cum processione et statione apud sepulcrum, atque ritus intermissus cum statione nonni si apud sepulcrum.

**63.** Hoc caput agit de sepultura et de precibus conclusivis, quæ nuncupantur “valedictio”.<sup>1</sup> Sicubi vero processio ad cœmeterium non fit, ultima prex præsertim propter eos qui ad cœmeterium non sunt ituri dici potest in ecclesia conventualis vel in oratorio communitatis, ubi frater vel soror oravit.

**64.** Processio ad cœmeterium et ad ipsum sepulcrum, cum psalmis 113 et 117, elementum magni momenti est. Sensus enim præcipuum dat summæ rituum, transitum exprimit a precibus seu celebrationibus obitum sequentibus ad sepulturam in coemeterio, quod nova Ierusalem appetat, ut per antiphonam *Aperi te mihi portas iustitiae* (n. 68) intelligitur.

**65.** Iuxta consuetudinem et a nostro Ordine traditam et ab aliis Familiiis religiosis, ritus sepulturæ in coemeterio per tres stationes ordinantur: præparationem scilicet sepulcri, immissionem feretri in fossam vel loculum, terræ proiectionem vel obsignationem loculi.<sup>2</sup>

Idem ordo in præsenti capitulo permanet, sed et alia structura proponitur: monitio scilicet, benedictio sepulcri, psalmodia dum feretrum in sepulcrum immittitur, oratio finalis. Hæc altera series tunc aptior videbitur cum processio nulla fit, sed directe pervenitur ad coemeterium atque statio apud sepulcrum habetur.

**66.** Inter preces quæ hic infra proponuntur, sunt quæ et aliis momentis dici possint ac iis quibus sunt prævisæ, servata tamen progressionе thematum in celebrazione.

---

<sup>1</sup> OE, n. 50.

<sup>2</sup> Cf. ASOP 1977, p. 154, n. 34.

## I. PROCESSIO ET SEPULTURA IN CŒMETERIO

### Processio ad cœmeterium

**67.** Novissimo tempore orationis in ecclesia conventuali vel in oratorio communitatis expleto, processio ad cœmeterium progreditur, campanis pro opportunitate pulsatis. In capite processionis procedunt ministrantes cum aspersorio et thuribulo, cereis (vel cereo paschali) et cruce; deinde fratres vel sorores iuxta ordinem consuetum; deinde Prior (vel Cappellanus), stola indutus, cum diacono vel ministrante librum ferente, aut Priorissa; denique feretrum, iuxta consuetudines loci gestatum; sequuntur autem familiares fratris vel sororis defunctæ, hospites et amici.

Si magis placet, hic aliis ordo haberi potest: post eos qui ferunt crucem, aspersorium, thuribulum, cereos (vel cereum paschalem), gestatur feretrum, deinde procedunt Prior vel Cappellanus aut Priorissa, fratres vel sorores cum familiariis et amicis.

**68.** In processione canuntur psalmi sequentes:

### Psalmus 117 cum antiphona

Aperíte mihi portas iustitiæ,  
ingrüssus in eas confitébor Dómino.

Vel:

### Psalmus 113 A cum antiphona

Chorus angelórum eum (eam) suscípiat,  
et in sinu Ábrahæ eum (eam) cóllocet  
et cum Lázaro quondam páupere  
ætérnam hábeat réquiem.<sup>3</sup>

Vel:

In paradísum dedúcant te Ángeli  
in tuo advéntu suscípiant te Mártires,  
et perdúcant te in civitátem sanctam Ierúsalem.<sup>4</sup>

### Necnon, si necesse est, psalmus 41 A cum antiphona

Ingrédiar in locum tabernáculi admirábilis,  
usque in domum Dei.

<sup>3</sup> PS, p. 185; cf. OE, n. 50.

<sup>4</sup> OE, p. 69.

Cantare etiam possunt eosdem psalmos cum unica antiphona Chorus angelorum,  
ut supra.

**69.** Cum ad sepulcrum per ventum sit, aqua benedicta et thus ponuntur ad pedes defuncti, crux et cereus ad caput, fratribus vel sororibus circumstantibus quantum pro condicione loci fieri potest; Prior vel Cappellanus, cum diacono vel ministrante librum ferente, stat ad pedes feretri, ante sepulcrum.

### Monitio initialis et benedictio sepulcri

**70.** Postquam omnes sint circa sepulcrum dispositi, sacerdos pro opportunitate concludit processionem per orationem psalmicam (in Appendix, II, p. 96 sqq.) vel communitatem invitat ad orandum verbis sequentibus vel aliis similibus:

Débitum humáni córporis sepeliéndi offíciū fidélium more compléntes, fratres caríssimi (soróres caríssimæ), Deum cui ómnia vivunt fidéliter deprecémur, ut corpus cari fratris nostri (caræ sororis nostræ) N., a nobis in infirmitáte sepúltum, in órdine sanctórum suórum resúscitet, et eius spíritum sanctis ac fidélibus suis aggregári iúbeat, cum quibus inenarrábili glória et perénni felicitáte pérfrui mereátur, præstánte Dómino nostro Iesu Christo.<sup>5</sup>

**71.** Post hæc sacerdos benedit sepulcrum dicens:

Deus, qui fundásti terram, cælos formásti  
siderúmq[ue] loca stabilítā fixísti;  
qui captívum láqueo mortis hóminem  
reparásti ablutióne lavácri;  
qui Dóminum nostrum Iesum Christum,  
contrítis láqueis infernórum,  
in salútem credéntium resúrgere  
suorúmq[ue] membra resuscitáre iussísti:  
super hoc sepúlcrum, Dómine, réspice miserátus,  
ut sit in eo, te iubénte, fámulo tuo (fámulæ tuæ) quiéta dormítio,  
et témpore iudíci tui vera resuscitáio cum beátis.  
Per Christum Dóminum nostrum.<sup>6</sup>

**R.** Amen.

---

<sup>5</sup> ASOP 1977, p. 158; Gre, nn. 1413 et 4062; *Eccl. Off.*, f. 65v; cf. PS, p. 205; OE, n. 65.

<sup>6</sup> Cf. PRG II, p. 509; OE, n. 194.

**Vel:**

Dómine Iesu Christe,  
 qui, per tríduum in sepúlcro quiéscens,  
 ómnium in te credéntium túmulos ita sanctificásti  
 ut, dum humándis corpóribus deservírent,  
 spem étiam resurrectiónis augérent,  
 concéde propítius, ut in hoc sepúlcro  
 fámulus tuus (fámula tua) cum pace dórmiens requiéscat,  
 donec eum (eam) tu resúscitans illumináveris,  
 qui es resurréctio atque vita,  
 ut in lúmine vultus tui  
 vídeat in cælo lumen ætérum.  
 Qui vivis et regnas in sácula sáculórum.<sup>7</sup>

**R.** Amen.

## Sepultura

### 72. Dicta oratione, canitur antiphona

Ingrédiar in locum tabernáculi admirábilis  
 usque ad domum Dei.<sup>8</sup>

**cum psalmo 41 A:** Quemádmodum desíderat cervus, **si iam non fuit cantatus, vel canitur psalmus 125:** In converténdo Dóminus, **cum ant.** Qui séminant in lácrimis, in exsultatióne metent.

Interea celebrans aspergit feretrum et sepulcrum; deinde utrumque thurificat. Quibus expletis, psalmodia intermittitur et resumitur antiphona Ingrédiar.

Tunc celebrans dicit orationem sequentem:

Obsecrámus misericórdiam tuam, omnípotens sempitérne Deus,  
 qui hóminem ad imáginem tuam creáre dignatus es,  
 ut fámulum tuum **N.** fratrem nostrum  
 (fámulam tuam **N.** sorórem nostram)  
 quem (quam) hodiérna die a rebus humánis éximi  
 et ad te accersíri voluísti,  
 blande et misericórditer suscípias,  
 quátenus, exútus (exúta) ómnium peccatórum labe,  
 in sinu Ábrahæ patriárchæ collocátus (collocáta),  
 locum lucis et refrigérii se adéptum (adéptam) esse gáudeat,

---

<sup>7</sup> OE, nn. 53 et 71.

<sup>8</sup> OE, n. 147.

ut cum dies iudíci advénerit,  
cum sanctis et eléctis tuis eum (*eam*) resuscitári iúbeas.  
Per Christum Dóminum nostrum.<sup>9</sup>

**R.** Amen.

**73. Deinde incipitur antiphona**

Hæc réquies mea in sǽculum sǽculi:  
hic habitábo quóniam elégi eam

**cum psalmo 131:** Meménto, Dómine, David.

Interea immittitur feretrum in sepulcrum. Quo facto, psalmodia intermittitur et resumitur antiphona.

Deinde celebrans dicit orationem sequentem:

Deus, apud quem mortuórum spíritus vivunt  
et in quo electórum ánimæ plena felicitáte lætántur,  
præsta supplicántibus nobis,  
ut fámulus tuus **N.** fratrem nostrum  
(fámula tua **N.** soror nostra),  
qui (*quæ*) temporáli, per corpus, huius lúminis cáruit visu,  
ætérnæ illíus lucis solátio potiátur  
et, concéssa sibi vénia delictórum ómnium,  
optátæ quiétis consequátur gáudia repromíssa.  
Per Christum Dóminum nostrum.<sup>10</sup>

**R.** Amen.

*Vel, si placet, sacerdos dicit:*

Quia plácuit omnipoténti Deo fratrem nostrum  
(sorórem nostram) ex hac vita ad se revocáre,  
corpus eius terræ commíttimus  
ut illuc revertátur unde extractum est.  
Quoniam autem Christus resurréxit primogénitus mortuórum,  
qui reformábit corpus humilitátis nostræ  
configurátum córpori claritatis suæ,  
fratrem nostrum (sorórem nostram) Dómino commendémus,  
ut eum (*eam*) assúmat in pacem suam,  
et corpus eius resúscitet in novíssimo die.<sup>11</sup>

<sup>9</sup> ASOP 1977, pp. 157 sq.; cf. PS, pp. 199 sq.

<sup>10</sup> ASOP 1977, p. 158; cf. PS, p. 201.

<sup>11</sup> OE, n. 55.

**74. Deinde incipitur antiphona**

De terra plasmásti me et carne induísti me,  
Redémptor meus Dómine:  
resúscita me in novíssimo die

**cum psalmo 138:** Dómine, probásti me et cognovísti me.

Hæc psalmodia adhibetur cum, ubi mos est, terra proicitur super tumulum vel sepulcrum obsignatur.

Si opportunum videtur et sicubi fidelium cœtus nondum in ecclesia feretrum asperserit, adstantes invitari possunt ad hoc faciendum vel etiam, dummodo actus recte intelligatur, ad prociedendum terram seu flores in sepulcrum.

Antiphona post psalmum resumpta, celebrans dicit orationem psalmicam (infra, in Appendix, II, pp. 96 sqq.) ab ipso selectam vel sequentem:

Omnípotens Deus, qui custos es tuórum fidélium  
et salútis ac fídei tutéla credéntium:  
bénedic hoc sepúlcrum et præsta benígnus,  
ut fratris nostri (sorórís nostræ) N. corpus  
hic post vitæ térmínū deponéndum  
in magno iudícii die resúrgat in glóriam  
et perénnis vitæ gáudia inter sanctos  
a Christo Dómino consequátur.  
Qui vivit et regnat in sǽcula sǽculórum.<sup>12</sup>

**R.** Amen.

**75.** Quæ circa sepulturam supra (nn. 67-74) indicantur, ubi commode non possunt plenarie servari propter paucam frequentiam fratrum vel sororum, peragi possunt simpliciore modo, ut infra (nn. 84 sqq.) de “Statione et precibus apud se-pulcrum” dicitur.

**76.** Ante ultima suffragia, si opportunum videtur et hoc nondum fuerit peractum in ecclesia initio ritus valedictionis, quidam e familiaribus stans apud se-pulcrum verba salutationis dicere potest.

### Ultima suffragia

**77.** Tunc adstantes ultima suffragia peragunt. Hic infra præbentur textus e Proprio Ordinis (e *Processionario* scilicet et e *Liturgia Horarum*) deprompti; adhiberi possunt etiam formularia e Rituali Romano deprompta vel textus a Conferentiis Episcopalibus propositi.

<sup>12</sup> RE Ambr., n. 139/1.

Quibus in elementis seligendis attendatur ad possibilates adstantium necnon ad rationem et ordinem universæ celebrationis, quæ ordinarie per Missam initium habuit. Proinde quædam seligi possunt inter formularia hic proposita, supplicaciones scilicet litanicas vel preces a presbytero dictas vel cantum typicum.

**78.** Si supplicatio litanica eligitur, adhiberi possunt invocationes quæ in Rituale Romano (OE, n. 202) vel in *Proprio Officiorum O.P.* (LHOP, pp. 519 et 531) præbentur atque hic infra in Appendice (IV, pp. 103; 108-109) una cum aliis formulariis resumuntur. Quamvis autem huiusmodi supplicatio adhibeatur, nullo modo omittatur oratio fidelium quæ in Missa vel in liturgia verbi est dicenda.

**79.** Loco harum invocationum ant. Clementissime cantari potest, qua expleta omnes ter supplicantur ut in litania; etiam responsorium traditionis nostræ adhiberi potest.

Pro isto suffragiorum modo Prior vel Priorissa aut Cappellanus supplicacionem introducit his verbis vel similibus:

Orémus, fratres caríssimi (soróres caríssimæ),  
pro dilécto nostro (dilécta nostra) N.,  
quem (quam) Dóminus de hoc sǽculo vocáre dignátus est  
cuiúsque corpus hódie sepultúræ tráditur,  
ut eum (eam) Dóminus in pace sua  
misericórditer accípere dignétur,  
quátenus, cum dies iudícií advénerit,  
inter sanctos et eléctos suos  
eum (eam) in parte déxtera collocándum (collocándam)  
resuscitári fáciat.<sup>13</sup>

Tunc canitur antiphona:

Clementissime Dómine,  
qui pro nostra miséria  
ab impiórum máníbus mortis supplícium pertulísti,  
líbera ánimam eius de inférfi vorágine  
et de vínculis mortis miserátor absólve,  
et cuncta eius peccáta oblivióne perpétua dele;  
eam ad lucem tuam ángeli tradant  
paradísique portam introducánt,  
ut, dum corpúsculum púlveri tráditur,  
ad æternitátem perdúcant.<sup>14</sup>

---

<sup>13</sup> ASOP 1977, p. 157; cf. PS, p. 203.

<sup>14</sup> Pro cantu, vide MLOP, pp. 501 sq.; cf. *Eccl. off.*, f. 65v.

Antiphona expleta omnes, genibus flexis vel inclinato corpore, ter supplicant:  
Dómine, miserére super peccatóre (peccatríce).

Deinde aut omnes simul recitant *Orationem dominicam* (si tamen hoc iam non fecerunt in celebratione Missæ) aut Prior vel Priorissa vel Cappellanus dicit unam e sequentibus orationibus:

Temeritatis quidem est, Dómine,  
ut homo hóminem tibi, Deo nostro, áudeat commendáre;  
sed quia pulvis convértitur in púlverem,  
donec omnis caro in suam redigátur oríginem,  
inde tuam, piíssime Pater, quásimus pietátem,  
ut hunc fámulum tuum N. fratrem nostrum  
(fámulam tuam N. sorórem nostram),  
quem (quam) de hoc sǽculo ducis ad pátriam,  
refrigérii rore perfúndas et beátæ requiéi coniúngas.  
Indulgéntiae tuæ piam séntiat bonitátem  
ut, finítio mundi térmíno,  
cum supérnum cunctis illúxerit regnum,  
sanctórum ómnium cótibus aggregátus (aggregáta),  
cum eléctis tuis beátus (beáta) resúrgat.  
Per Christum Dóminum nostrum.<sup>15</sup>

R. Amen.

Vel:

Fac, Dómine, hanc cum servo tuo defúncto  
(ancílla tua defúncta) misericórdiam,  
ut factórum suórum in pœnis non recípiat vicem,  
qui (quæ) tuam in votis ténuit voluntátem:  
et quia hic illum (illam) vera fides iunxit fidélium turmis,  
illic eum (eam) miserátio tua sóciet angélicis choris.  
Per Christum Dóminum nostrum.<sup>16</sup>

R. Amen.

Vel:

Diri vúlneris novitáte percúlsi  
et quodámmodo sauciáti,  
misericórdiam tuam, mundi Redémptor,

---

<sup>15</sup> Cf. ASOP 1977, p. 159; cf. *Liber Ordinum*, ed. Férotin, n. 125; PS, pp. 204 sq.

<sup>16</sup> *Eccl. Off.*, f. 64v; PS, p. 194.

flebilibus vócibus implorámus,  
 ut cari fratris nostri (caræ sororis nostræ) ánimam  
 ad tuam cleméntiam, qui fons pietatis es, reverténtem,  
 blande lenitérque suscípias;  
 et si quas illa ex carnáli commoratióne contráxit máculas,  
 tu Deus, sólita bonitáte cleménter déleas,  
 pie indúlgeas, oblívioni in perpétuum tradas,  
 atque hanc tibi laudem cum céteris redditúram,  
 sanctórum cœtibus aggregári præcípias.  
 Qui vivis et regnas in sǽcula sǽculórum.<sup>17</sup>

R. Amen.

**80.** Tunc Prior vel Priorissa aut Cappellanus sanctos Ordinis invocare possunt  
 prece sequenti, adiungentes pro opportunitate aliquem sanctum traditionis nostræ:

Satisfáciat tibi, Dómine Deus noster,  
 pro fámulo tuo N. fratre nostro (fámula tua N. sorore nostra)  
 sanctæ Dei Genetrícis sempérque Vírginis Maríæ  
 et beáti Patris nostri Domínici  
 omniúmque sanctórum Órdinis nostri orátio  
 et præséntis familiæ tuæ húmilis et devóta supplicáatio,  
 ut peccatórum ómnium véniam obtíneat  
 quem (quam) Fílii tui Dómini nostri Iesu Christi  
 pretiósó sanguine redemísti.  
 Qui vivit et regnat in sǽcula sǽculórum.<sup>18</sup>

R. Amen.

**81.** Deinde per orationem sequentem idem celebrans mentionem facere potest de fratribus vel sororibus in illo cœmitorio sepultis et de omnibus defunctis ubique quiescentibus:

Deus, cuius miseratióne ánimæ fidélium requiéscunt,  
 fámulis et famulábus tuis ómnibus  
 hic et ubique in Christo quiescéntibus  
 da propítius véniam peccatórum,  
 ut a cunctis reáribus absoluíti,  
 tecum sine fine læténtur.  
 Per Christum Dóminum nostrum.<sup>19</sup>

R. Amen.

---

<sup>17</sup> Gre, n. 4059; GeV, n. 1608; *Eccl. Off.*, f. 57r; PS, p. 185 emend.

<sup>18</sup> ASOP 1977, p. 159; cf. PR II, p. 512; *Eccl. Off.*, f. 65v; PS, p. 207 emend.

<sup>19</sup> ASOP 1977, p. 159; cf. Gre, n. 1444; *Eccl. Off.*, f. 65v; PS, p. 207 emend.

**82.** In fine totius ritus aliquis cantus haberi potest, iuxta consuetudinem locorum.<sup>20</sup> Cantu expleto, Prior vel Cappellanus benedicit adstantes sicut fit in fine Missæ; deinde pro dimissione dicit:

Eámus nunc in pace,  
mémores ante Dóminum fratris nostri (sorórís nostræ).

**83.** Si propter intemperiem processio usque ad cœmeterium fieri nequit, loco idoneo interrupitur psalmodia et statim ordinantur ultima suffragia ut supra, nn. 77 sqq. Postea, tempore opportuno, comitantibus aliquibus fratribus vel sororibus, feretrum prius depositum in loco apto inhumatur Priore vel Priorissa adstante; ipse vel ipsa sepulcrum benedicit et illud aspergit ac thurificat.

## II. STATIO ET PRECES APUD SEPULCRUM

**84.** Sicubi conventus vel communitas suum cœmeterium non habeat atque ritus ultimæ commendationis et valedictionis peragantur in ecclesia conventuali vel in sacello domus religiosæ, Prior, Cappellanus, Priorissa ac nonnulli fratres vel sorores una cum familiaribus defuncti vel defunctæ comitantur feretrum ad cœmeterium.

**85.** Exsequiæ concluduntur ante sepulcrum ritu simpliciore supra (n. 62) descripto, scilicet sine processione ab ecclesia ad cœmeterium. Si adsunt propinquí vel amici defuncti vel defunctæ, hoc momentum orationis familiarius opportune peragitur, mortem illustrans sicuti ianuam quæ mansionem aperit ubi Pater filios suos exspectat.<sup>21</sup>

**86.** Cum ante sepulcrum perventum est et omnes iuxta condicionem loci circumstant, celebrans eos monet ad orandum his verbis vel similibus:

Débitum humáni córporis sepeliéndi officium fidélium more compléntes, fratres caríssimi (soróres caríssimæ), Deum cui ómnia vivunt fidéliter deprecémur, ut corpus cari fratris nostri (caræ sorórís nostræ) N., a nobis in infirmitáte sepúltum, in órdine sanctórum suórum resúscitet, et eius spíritum sanctis ac fidélibus suis aggregári iúbeat, cum quibus inenarrábili glória et perénni felicitáte pérfrui mereátur, præstánte Dómino nostro Iesu Christo.<sup>22</sup>

---

<sup>20</sup> OE, n. 57.

<sup>21</sup> Io 14,1-6.

<sup>22</sup> ASOP 1977, p. 158; Gre, nn. 1413 et 4062; Eccl. Off., f. 65v; cf. PS, p. 205; OE, nn. 46 et 65.

**Vel:**

In huius celebratiōnis mæstītia  
Dei misericordiam deprecēmur,  
qui in Christo, pro nobis crucifīxo et ad vitam revocāto,  
mortis tenebras dissipāvit  
spemque nobis restītuit.  
Exaudiāt Dōminus preces nostraras,  
adapēriat fratri nostro (sorōri nostrāe) iānuas domus suāe  
ipsūmque (ipsāmque) in pacem perpétuam introdūcat.<sup>23</sup>

**87.** Tunc quidam ex adstantibus legere potest aliquem versum e Sacra Scriptura desumptum:

Mt 25,34

Venīte, benedīcti Patris mei, dicit Dōminus;  
possidētē parátum vobis regnum a constitutiōne mundi.

cf. Io 6,39-40

Hæc est volūntas Patris mei,  
ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo,  
sed resūscitem illud in novíssimo die.

Io 14,1-3

Non turbétur cor vestrum. Créditis in Deum et in me crēdite.  
In domo Patris mei mansiōnes multæ sunt;  
si quo minus, dixisse vobis quia vado parāre vobis locum?  
Et si abiero et præparávero vobis locum,  
íterum vénio et accípiam vos ad meípsum,  
ut, ubi sum ego, et vos sitis.

Phil 3,20

Conversatiō nostra in cælis est,  
unde étiam Salvatórem exspectāmus  
Dóminum nostrum Iesum Christum.

2 Tim 2,11-12a

Si commórtui sumus cum Christo, et convivémus;  
si sustinébimus, et conregnábimus.

---

<sup>23</sup> RE Ambr., n. 96.

**88.** Deinde celebrans orationem ad sepulcrum benedicendum dicit:

Dómine Iesu Christe,  
 qui, per tríduum in sepúlcro quiéscens,  
 ómnium in te credéntium túmulos ita sanctificásti  
 ut, dum humándis corpóribus deservírent,  
 spem étiam resurrectiónis augérent,  
 concéde propítius, ut in hoc sepúlcro  
 fámulus tuus (fámula tua) cum pace dórmiens requiéscat,  
 donec eum (eam) tu resúscitans illumináveris,  
 qui es resurréctio atque vita,  
 ut in lúmine vultus tui  
 vídeat in cælo lumen aëternum.  
 Qui vivis et regnas in sǽcula sǽculórum.<sup>24</sup>

**R.** Amen.

Alia formularia e Rituali Romano vel aliquo Rituali proprio sumi possunt.  
 Dicta oratione, celebrans feretrum et sepulcrum aspergit et thurificat.

**89.** Hic recitari potest professio fidei, ut in nonnullis aptationibus linguisticis  
 Ritualis Romani indicatur.<sup>25</sup> Ad quam celebrans introducit hæc vel similia dicens:

Fides in Deum, Patrem nostrum,  
 in Iesum Salvatórem  
 et in Spíritum vivificántem,  
 fortes nos fáciat et serénos.<sup>26</sup>

Vel ut in Appendix, I, p. 86.

Deinde adstantes recitant alterum ex symbolis sequentibus vel aliam profesionem fidei:

Credo in unum Deum,  
 Patrem omnipoténtem, factórem cæli et terræ,  
 visibílium ómnium et invisibílium.  
 Et in unum Dóminum Iesum Christum,  
 Fílium Dei unigénitum,  
 et ex Patre natum ante ómnia sǽcula.  
 Deum de Deo, lumen de lúmine, Deum verum de Deo vero,  
 génitum, non factum, consubstantiálem Patri:

---

<sup>24</sup> OE, nn. 53 et 71.

<sup>25</sup> Cf. RE, nn. 22, 33, 89.

<sup>26</sup> RE Ambr., n. 80.

per quem ómnia facta sunt.

Qui propter nos hómines et propter nostram salútem  
descéndit de cælis.

Et incarnátus est de Spíitu Sancto  
ex María Vírgine, et homo factus est.

Crixifíxus étiam pro nobis sub Póntio Piláto;  
passus et sepúltus est,  
et resurréxit tértia die, secúndum Scriptúras,  
et ascéndit in cælum, sedet ad déxteram Patris.

Et íterum ventúrus est cum glória, iudicáre vivos et mórtuos,  
cuius regni non erit finis.

Et in Spíritum Sanctum, Dóminum et vivificántem:  
qui ex Patre Filióque procédit.

Qui cum Patre et Fílio simul adorátur et conglorificátur:  
qui locútus est per prophétas.

Et unam, sanctam, cathólicam et apostólicam Ecclésiam.

Confítetor unum baptísma in remissiónem peccatórum.

Et exspécto resurrectióne mortuórum,  
et vitam ventúri sáculi. Amen.

**Vel:**

Credo in Deum, Patrem omnipoténtem,  
Creatórem cæli et terræ;  
et in Iesum Christum Fílium eius únicum,  
Dóminum nostrum:  
qui concéptus est de Spíitu Sancto,  
natus ex María Vírgine,  
passus sub Póntio Pílato,  
crucifíxus, mórtuus et sepúltus,  
descéndit ad íferos, tértia die resurréxit a mórtuis,  
ascéndit ad cælos, sedet ad déxteram Dei Patris omnipoténtis,  
inde ventúrus est iudicáre vivos et mórtuos;  
credo in Spíritum Sanctum,  
sanctam Ecclésiam cathólicam,  
sanctórum communiónem,  
remissiónem peccatórum,  
carnis resurrectióne,  
vitam ætérnam. Amen.<sup>27</sup>

---

<sup>27</sup> Cf. *Eccl. Off.*, f. 56v; PS, p. 170.

**90.** Dum feretrum in sepulcrum immittitur dici vel cantari potest psalmus cum antiphona, exempli gratia:

**Ps 131:** Meménto, Dómine, David, **cum antiphona**

Hæc réquies mea in sǽculum sǽculi: hic habitábo quóniam elégi eam.

**Vel:**

**Ps 125:** In converténdo Dóminus, **cum antiphona**

Qui séminant in lácrimis, in exsultatióne metent.

**91.** Ante ultima suffragia dicenda, aliquis e familiaribus defuncti vel defunctæ dicere potest precem vel parvum textum recitare vel etiam brevem allocutionem facere.

**92.** Pro conclusione ritus celebrans adhibere potest unum e schematibus orationis supra (nn. 77-79) præbitum. Inter alias preces seligendas, etiam alteram e sequentibus celebrans potest dicere:

Deus, vitæ dator et humanórum córporum reparátor,  
qui te a peccatóribus exorári voluísti,  
exáudi preces quas fratérna devotíone  
pro fámulo tuo (fámula tua) N. fúndimus,  
ut liberáre eum (eam) ab inferórum cruciátibus  
et collocáre inter ágmina sanctórum tuórum dignérís,  
veste quoque cælesti et stola immortalitatís índui  
et paradísi amoenítate confovéri iúbeas.<sup>28</sup>  
Per Christum Dóminum nostrum.

**R.** Amen.

**Vel:**

Deus, qui iustis supplicatióibus semper præsto es,  
qui pia vota dignáris intuéri,  
qui universórum es cónditor et redémptor,  
misericórdia quoque peccatórum et tuórum beatitúdo iustórum,  
da fámulo tuo N. fratri nostro (fámulæ tuæ N. soróri nostræ),  
cuius depositiόni hódie offícium humanitatís exhibémus,  
cum sanctis et éléctis tuis beáti múnneris portiόnem,  
eúmque (eámque) a corpóreis néxibus absolútum  
in resurrectiōnem filiórum tuórum fáciás præsentári.<sup>29</sup>  
Per Christum Dóminum nostrum.

**R.** Amen.

<sup>28</sup> ASOP 1977, p. 157; cf. Gre, n. 1407; *Eccl. Off.*, f. 65v; PS, p. 204.

<sup>29</sup> ASOP 1977, p. 159; cf. Gre, n. 1412; *Eccl. Off.*, f. 65v; PS, p. 204.

Adstantes invitari possunt etiam ad Salutationem Angelicam proferendam.  
Denique celebrans dicit orationem sequentem:

Satisfáciat tibi, Dómine Deus noster,  
pro fámulo tuo **N.** fratre nostro (fámula tua **N.** soróre nostra)  
sanctæ Dei Genetrícis sempérque Vírginis Maríæ  
et beátí Patris nostri Domínici  
omniúmque sanctórum Órdinis nostri orálio  
et præséntis familiæ tuæ húmilis et devóta supplicátio,  
ut peccatórum ómnium véniam obtíneat  
quem (quam) Fílii tui Dómini nostri Iesu Christi  
pretiósso sanguine redemísti.  
Qui vivit et regnat in sǽcula sǽculórum.<sup>30</sup>

**R.** Amen.

**93.** Tunc adstantes invitari possunt ante sepulcrum transientes gestum valedictionis facere ad libitum (sive aspersionem aquæ benedictæ sive proiectionem terræ vel floris sive simplicem inclinationem).

In fine celebrans dicit versum sequentem:

In spe resurrectiónis  
frater noster (soror nostra) **N.** requiéscat in pace.  
In nómine Patris et Fílii et Spíritus Sancti.

**R.** Amen.

---

<sup>30</sup> ASOP 1977, p. 159; cf. PR II, p. 512; *Eccl. Off.*, f. 65v; PS, p. 207 emend.

## CAPUT V

### ALIÆ CELEBRATIONES PRO VARIIS ADIUNCTIS

#### NOTA PRÆVIA

**94.** In hoc capite indicationes continentur pro peculiaribus celebrationibus quæ defunctos respiciunt. Inter hæc nonnullæ iam in *Processionario Ordinis* afferuntur, aliæ – sicut crematio – moribus societatis et ecclesiastica disciplina mutantibus nuper exortæ sunt. In hoc Rituali nonnisi de iis agitur quæ ipsam liturgiam respiciunt; pro iis autem quæ ad disciplinam religiosam ac regularem attinent, determinationes quoque Capitulorum provincialium Fratrum vel Congregationum sororum atque Directoria Monasteriorum serventur.

**95.** His pro casibus peculiaribus, in liturgia ordinanda præcipue indicationes Ritualis Romani et Conferentiarum Episcopaliū respiciantur atque variæ possibilitates ab hoc Rituali præbitæ conspiciantur et libenter adhibeantur. Complures textus vel gestus in Rituali Ordinis inveniuntur, qui opportune pro huiusmodi celebrationibus adhiberi possunt; cum tamen quidam ex his ritibus vel textibus ipsam condicionem religiosam vel presbyteralem respiciunt, in celebrationibus pro ceteris fidelibus adhiberi nequeunt.

**96.** Quando de morte alicuius fidelis laici agitur, etsi amicus sit Ordinis, fratres vel sorores eorumque communitates necnon et Fraternitates laicales, ne sentiant circa huiusmodi celebrationes se nimis implicatos. Nihilominus meminisse oportet mysterii communionis sanctorum atque vinculum devoti officii necnon et fraternæ dilectionis quæ fortasse communitatibus nostris coniunxerunt defunctum vel defunctam, quamvis sodalis Familiae Dominicanæ non esset.

**97.** Circa statutum iuridicum seu sociale cœmelteriorum Ordinis necnon et sepulturæ laicorum in sepulcris nostris, novissime multa mutaverunt in singulis nationibus. De quibus nonnullæ indicationes allatæ sunt vel adhuc afferri poterunt a Capitulis provincialibus fratrum vel sororum aut a Directoriis monialium. Expedit quoque ut iuxta diversas regiones indicationes Conferentiarum Episcopaliū attendantur, quæ Missas exequiales vel Missas pro defunctis respiciunt quæque de hac re nonnumquam relationes determinant inter paroecias et Instituta vitæ consecratæ. Meminerint fratres etiam indicationes Constitutionum suarum circa familiares qui habitare possunt in conventibus.<sup>1</sup> Considerent item ea quæ dicuntur de “Missis fundatis”.<sup>2</sup>

---

<sup>1</sup> LCO, n. 15, § I.

<sup>2</sup> Cf. LCO, nn. 596-597: *De piis foundationibus et largitionibus condicionatis.*

## I. AD DEFUNCTUM DEFERENDUM A SACELLO CÆMETERII AD LOCUM SEPULTURÆ

**98.** Inter varios typos celebrationum funerum, qui in *Ordine Exsequiarum Ecclesiæ latinæ* inveniuntur, de exequiis in sacello cœmeterii agitur.<sup>3</sup> Coadunatio familiæ, propinquorum et amicorum in sacello habetur. Missæ celebratio non prævidetur, sed absente corpore fit ante vel post exequias.

Ritus receptionis, liturgia verbi et ultima valedictio – nisi haberi possunt apud sepulcrum – peraguntur in sacello cœmeterii.

**99.** Quamvis huiusmodi casus parum sit frequens in Ordine, saltem huc usque, fieri potest ut is pro aliquo fratre vel aliqua sorore eveniat. In hac celebrazione ordinanda indicationes resipientur sequentes:

a) Prior vel Priorissa necnon et delegatus vel delegata pro liturgia, una cum familiaribus defuncti vel defunctæ et cum fratribus vel sororibus, diligenter ordinent celebrationem, liturgiam scilicet verbi, ut actio liturgica sit satis apta, quamvis cœtus adstantium sit parvus;

b) preces, lectiones atque cantus seligi possunt in repertorio quod a Ritualli Ordinis præbetur, respectu utique litterario et liturgico genere uniuscuiusque elementi;

c) post liturgiam verbi, schema adhibetur supra (n. 67 sqq.) propositum, præsertim si processio a sacello cœmeterii ad sepulcrum ordinari potest. Sicubi autem fieri nequeat, schema simplicius adhibetur (n. 84 sqq.);

d) tempus et locus ad homiliam proferendam et ad ultimam commendationem et valedictionem peragendam<sup>4</sup> eligantur pro adstantibus et adiunctis. Prævideatur item momentum aptissimum quo aliquis ex familiaribus vel propinquis verba valedictionis proferre possit.

## II. DE CREMATIONE ET DE DONO VITALIUM PROPRII CORPORIS ARTI MEDICÆ

### Crematio

**100.** Ecclesia consuetudinem sepeliendi corpora defunctorum semper prædilexit.<sup>5</sup> Quibusdam tamen in locis, attentis circumstantiis et evolutione urbium, crematio corporum defunctorum necessaria videtur. Quapropter fieri potest ut etiam in Ordine talis modus eligendus videatur.

---

<sup>3</sup> Cf. OE, n. 7 et nn. 59-76.

<sup>4</sup> Cf. OE, nn. 64 et 73.

<sup>5</sup> Cf. OE, n. 15.

**101.** His in casibus ritus exsequiarum servetur qui in Rituali Romano<sup>6</sup> et in eius aptationibus localibus prævidetur. Missa exsequiarum et ritus ultimæ commendationis et valedictionis de more habentur in ecclesia conventuali vel in sacello communitatis. Post hanc liturgiam, ritibus in cœmeterio, qui iuxta Rituale ordinantur atque pro loco cremationis aptantur, Prior vel Priorissa præest, nonnullis fratribus vel sororibus adstantibus una cum familiaribus qui hoc optent.

Cineres defuncti vel defunctæ, Superiori religioso vel familiae commissi, servantur in loco apto vel disperduntur, iuxta præscriptiones iuri civilis vel indicaciones Conferentiarum Episcopalium.

### Donum vitalium arti medicæ

**102.** Sicubi frater vel soror vitalia sui corporis arti medicæ pro transpositione donaverit, una cum Officio Defunctorum etiam celebratio eucharistica appropria ta prævidetur. Ritus autem ultimæ commendationis et valedictionis ne peragatur, quia corpus mox post obitum elatum est ob opus medicorum fungendum atque corpore absente ille ritus haberet nequit.<sup>7</sup>

Duplicazione vel imitatione ultimæ valedictionis vitata, momentum utique post Missam exsequiarum, sive in ecclesia sive in loco apto, prævideri potest ubi fraterno et amico more memoria defuncti vel defunctæ evocetur. Ea quidem occasione familiares peculiari dilectione circumdendentur.

## III. DE EXSEQUIIS LAICORUM

### Indicationes generales

**103.** *Processionarium* Ordinis sectionem continebat de “Officio sepulturæ extraneorum” agentem,<sup>8</sup> nunc melius “pro amicis et laicis defunctis” nuncupandam.

Adiuncta vero socialia et pastoralia hodie mutaverunt. Munus apostolicum conventuum et communitatum necnon et structura conventualis nostræ vitæ liturgicæ<sup>9</sup> discretionem exigunt circa opportunitatem vinculorum huiusmodi. Constitutiones<sup>10</sup> Fratrum caute loquuntur de Missis fundatis non facile accipiendo; ceterum acceptatio personarum non est facienda inter eos qui amici sunt conventus. Ius utique canonicum necnon pastoralem morem uniuscuiusque nationis servari præstat.

---

<sup>6</sup> OE, n. 15.

<sup>7</sup> Cf. OE, n. 10 in fine; IGMR<sup>3</sup>, n. 384.

<sup>8</sup> PS, pp. 221-223.

<sup>9</sup> « Indicationes quædam pro celebrationibus liturgicis in Ordine Prædicatorum », n. 2: LHOP, p. LXXV.

<sup>10</sup> LCO, nn. 596-597.

**104.** Quæ hic suggestur ad vim pastoralem et apostolicam probandam, etiam indicationibus liturgicis sunt illustrata, e nostra traditione depromptis.

Duo enim casus possunt haberi:

a) sicubi, post consilium communictatis atque Statutis Provinciæ respectis vel Directorio Monasterii vel Congregationis, inhumationi defuncti vel defunctæ in cœmterio vel in ipso sepulcro fratrum vel sororum consentit;

b) sicubi pro defuncto qui amicus vel proximus fuit Ordini Missa exsequiarum celebratur in ecclesia conventualis vel in sacello communictatis.

### Indicationes liturgicæ

**105.** Sicubi hospes quidam in conventu vel monasterio vel domus religiosa Familia Dominicana moritur, vel sicubi corpus cuiusdam defuncti vel defunctæ defertur in conventum pro celebrationem exsequiarum, præstat ut vel pars communictatis adsit. Convenitur igitur ad ianuam sive conventus vel domus religiosæ sive ecclesiae. Tunc omnia fiunt ut supra, nn. 12-22, dictum est.

**106.** Si feretrum inhumandum est in cœmterio vel sepulcro Ordinis, non solum Missæ exsequiali loco ac tempore opportuno celebratæ sed omnibus funeribus præest Prior vel Cappellanus vel frater qui sit sacerdos, ad hoc delegatus. Communitas vel saltem nonnulli fratres vel sorores, ut decet in huiusmodi causis, liturgia intersunt. Pro statione in cœmterio vel apud sepulcrum plerumque ritus simplex (supra, n. 62) adhibetur.

**107.** Si corpus defuncti vel defunctæ sit longius transferendum, post ultimam commendationem et valedictionem in ecclesia vel in sacello celebratam adstantes cum psalmodia apta feretrum comitantur ad locum ubi committatur iis qui translationem curabunt. Tunc celebrans orationem conclusivam dicit et adstantes dimitit.

### Exsequiæ parvolorum

**108.** Raro accidit ut in ecclesiis nostris, nisi sint paroeciales, exsequiæ parvolorum celebrentur. Sicubi hoc eveniat, serventur indicationes Ritualis Romani vel eius aptationum regionalium.<sup>11</sup>

Uti complementum ad textus Ritualis Romani servari potest e *Processionario Ordinis*<sup>12</sup> usus psalmorum 112, 137 et 150.

---

<sup>11</sup> OE, nn. 80-82.

<sup>12</sup> PS, pp. 223-227.

## CAPUT VI

### SUFFRAGIA PRO DEFUNCTIS

#### NOTA PRÆVIA

**109.** Inde a primævis temporibus Ecclesiæ et Ordinis nostri communio totius Christi Mystici Corporis exprimitur etiam in defunctorum memoria magna cum pietate exculta et in suffragiorum oblatione, « quia sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare ut a peccatis solvantur » (*2 Mac 12,46*).<sup>1</sup> Quapropter sacrificium eucharisticum pro defunctis offerens et preces pro iisdem effundens, Familia Dominicana eos commendat ob misericordiam in Ordine datam et acceptam, quam per suffragia ad extra et per annos extendit erga omnes secum communicantes, in exspectatione adventus Christi ac resurrectionis mortuorum.

**110.** Suffragia pro defunctis in Familia Dominicana ordinantur iuxta Constitutiones et Directoria uniuscuiusque cœtus Ordinis, Fratrum scilicet, Monialium, Sororum, Societatum vitæ apostolicæ, Institutorum sacerularium, Fraternitatum sacerdotalium vel laicalium Sancti Dominici.

**111.** Suffragiorum iuxta Constitutiones præscriptorum<sup>2</sup> varii sunt typi:

- suffragia cotidiana, scilicet preces regulares et intercessiones ad Vespertas;
- suffragia hebdomadalia, in Missa conventuali;
- suffragia annua, in anniversariis;
- suffragia occasionalia, in morte fratris vel sororis vel Magistri Ordinis vel Summi Pontificis;
- suffragia in Capitulis provincialibus vel generalibus facta.

---

<sup>1</sup> Cf. LG, n. 50; CCE, n. 958.

<sup>2</sup> Cf. LCO, nn. 70-75 (pro opportunitate isti numeri sunt hic infra transcripti); LCM, n. 16.

EXCERPTUM E LIBRO CONSTITUTIONUM ET ORDINATIONUM  
FRATRUM ORDINIS PRÆDICATORUM, ED. 1998<sup>3</sup>

De suffragiis pro defunctis

70. - § I. A Commemoratione omnium defunctorum usque ad Adventum Domini, pro fratribus, sororibus, familiaribus et benefactoribus defunctis quilibet presbyter celebret unam Missam et fratres non presbyteri unam participant Missam.

§ II. In singulis conventibus celebretur Missa defunctorum die 7 februarii pro anniversario patrum et matrum; die 5 septembris pro anniversario benefactorum et familiarium Ordinis; die 8 novembris pro anniversario fratrum et sororum.

71. - § I. *Semel in hebdomada, in unoquoque conventu proprie dicto, Missa conventionalis celebretur pro eisdem defunctis, in qua dicatur oratio fidelium cum supplicationibus pro defunctis. Ubi autem Missa conventionalis haberi nequit (cf. n. 61, § II), una Missa applicetur pro eis.*

§ II. *Excipiuntur Hebdomada Sancta, Paschæ, et illa in qua incidit Nativitas Domini; excipiuntur pariter hebdomadæ in quibus propter anniversarium (n. 70, § II) vel obitum fratris (n. 73) aut Summi Pontificis (n. 74) Missa defunctorum celebratur.*

§ III. - *Semel in hebdomada pro eisdem defunctis tertia pars rosarii ab omnibus fratribus recitetur.*

72. - *Semel saltem in die a fratribus recitetur in communi psalmus De profundis pro fratribus et benefactoribus defunctis.*

73. - *In morte cuiuslibet fratris:*

§ I. *Conventus ubi moritur et conventus cui frater erat assignatus celebrent pro eo officium et Missam defunctorum.*

§ II. *In tota provincia affiliationis:*

*1° quilibet presbyter et quilibet conventus celebrent unam Missam;*

*2° quilibet frater non presbyter participet unam Missam.*

*Idem fiat in conventu assignationis, si frater extra provinciam affiliationis assignatus fuerit.*

§ III. *In toto Ordine:*

*1° in morte magistri Ordinis quilibet presbyter celebret unam Missam, quilibet frater non presbyter participet unam Missam;*

*2° in morte magistri et ex-magistri Ordinis quilibet conventus celebret Missam defunctorum.*

74. - *In morte Summi Pontificis quilibet conventus celebret Missam defunctorum.*

75. - *Præter suffragia supra dicta, a capitulo provinciali alia præscribi possunt.*

---

<sup>3</sup> Constitutiones characteris rotundis, ordinationes vero characteris cursivis impressæ sunt.

**112.** Præter suffragia a Constitutionibus expetita, die 2 novembris, una cum tota Ecclesia, fit commemoratio omnium defunctorum, pro qua nostri libri liturgici preces et ritus aptos proponunt.

Capitula conventionalia vel communictaria prudenti consilio possunt suffragia complementaria decernere.<sup>4</sup>

**113.** Hæc officia orationis ac supplicationis pro defunctis communitates nostræ earumque sodales veraciter et fraterne peragant. Fratres qui sunt presbyteri sed etiam communitas universa officia sollicitudinis pastoralis considerent ob eleemosynas acceptas ad Missas pro defunctis celebrandas.<sup>5</sup>

## I. INDICATIONES PRO SUFFRAGIIS CELEBRANDIS

**114.** Suffragia peraguntur respectis indicationibus Constitutionum et liturgicis exigentiis, sed etiam referentis ad communitatem atque regulari forma nostræ vitæ orationis.

Ad his institutionalibus postulatis recte satisfaciendum atque ad certas determinationes fovendas quas Provinciæ vel Directoria communictatum edere poterunt, nonnullæ indicationes hic præbentur. Quarum aliæ referuntur ad ea quæ in *Libello precum O.P.* sunt proposita,<sup>6</sup> aliæ schemata liturgica Provinciarum sequuntur.

### Preces cotidianæ

**115.** Memoria quæ de defunctis cotidie iuxta Constitutiones<sup>7</sup> habetur, multipliciter fieri potest:

- psalmus 129 vel alius psalmus, cum oratione, dici potest in hora diei quæ opportuna videatur;
- formularium adhiberi potest ordinatum iuxta ea quæ “schemata autonoma” inter “Preces pro Familia Dominicana et benefactoribus” in *Libello Precum O.P.* nuncupantur;<sup>8</sup>
- ante preces in mensa dicendas, versus ordinari potest qui momentum tacitæ orationis introducat pro defunctis et benefactoribus;
- in fine diei dici potest una ex precibus in honorem S. P. Dominici,<sup>9</sup> quæ cum huiusmodi suffragiis sit congruens.

<sup>4</sup> LCO, n. 75, hic supra transcriptus.

<sup>5</sup> Cf. LCO, nn. 593-595.

<sup>6</sup> LHOP, pp. 764-773.

<sup>7</sup> Cf. LCO, n. 72, hic supra transcriptum.

<sup>8</sup> LHOP, pp. 768-772.

<sup>9</sup> LHOP, pp. 739-741.

**116.** Memoria cotidiana defunctorum inter preces comprehenditur vitæ regulari prorsus inhærentes ideoque extra actiones liturgicas collocatur. Quæ igitur, ut mos est, fit ante mensam vel in fine coadunationis communitariæ; pro qua utique schemata adhiberi possunt in *Libello precum O.P.* proposta.<sup>10</sup>

### Missæ hebdomadales

**117.** Missa hebdomadalís pro defunctis, de qua in Constitutionibus<sup>11</sup> agitur, celebratio est conventionalis eademque in calendario hebdomadis ordinanda. Oratio fidelium in ea semper fiat. Pro opportunitate, formularium “pro defunctis” in hac Missa adhiberi potest, lectionibus autem diei præter singularia servatis. Divitiis Missalis perspectis, celebratio aptius renovari potest, præsertim orationes seligendo quæ tunc suffragium prorsus exprimant tunc potius consolationem. Ad vivificandam vero cœtuum liturgicorum attentionem, varia specimina orationis fidelium parari præstat. Cantus proinde post Evangelium peragi potest pro supplicatione ac paschali nota præditus, ut convenit cum hac memoria defunctorum.

### Anniversaria

**118.** Calendarium liturgicum Ordinis tria anniversaria præscribit: die scilicet 7 februarii pro patribus et matribus, die 5 septembbris pro familiaribus et benefactoribus Ordinis, die 8 novembbris pro fratribus et sororibus defunctis. Ad omne anniversarium pertinet celebratio Missæ formulario proprio prædita, quoad orationes et lectiones, ut inter Missas proprias Ordinis indicatur. Præterea die 8 novembbris Officium defunctorum celebratur, cum textibus in *Proprio O.P.* præbitis. Ad hæc anniversaria melius notanda, in Appendice huius Ritualis inveniuntur non-nullæ orationes (II, p. 93 sqq.), antiphonæ e *Processionario Ordinis* depromptæ et orationes super psalmos.

**119.** Diebus vero 7 februarii et 5 septembbris suffragia Missa tantum peraguntur. In Liturgia igitur Horarum omnis communitas anniversarium commemorare potest iuxta generales normas, aptiore qua videbitur forma.<sup>12</sup>

### Suffragia occasionalia

**120.** Constitutiones Fratrum, e quibus numeri congrui hic supra (n. 111) inveniuntur transcripti, pariterque Constitutiones Monialium vel Sororum suffragia occasionalia prævident. Quæ enim pro peculiaribus adjunctis (obitu scilicet fratris vel sororis, Magistri Ordinis, Priorissæ generalis, Summi Pontificis) et a communatibus et a singulis fratribus vel sororibus sunt peragenda.

---

<sup>10</sup> LHOP, pp. 768-773.

<sup>11</sup> LCO, n. 71, § I.

<sup>12</sup> LHOP, pp. 99 et 373; cf. IGLH, nn. 245-252.

**121.** Inter hæc suffragia comprehenduntur etiam ea quæ fiunt in Capitulis Generalibus vel Provincialibus vel ab iisdem præscribuntur. Quæ igitur peculiari cura serventur.

**122.** Rituale sive Ecclesiæ sive Ordinis, mysterium paschale evocans in liturgia infirmorum et defunctorum expressum, opportunitatem plures commendat diversa momenta sanctificandi in decursu infirmitatis vel ea quæ a morte usque ad sepulturam intersunt. Ex eodem Rituali proinde quæcumque suffragia rectum ac integrum sensum sumunt, communicationis scilicet cum liturgia paschali, in supplicatione et fletu sed etiam in exspectatione gloriæ.

## II. PROCESSIO VEL CELEBRATIO IN CÆMETERIO DIE 2 NOVEMBRIS

**123.** Commemoratio omnium fidelium defunctorum, die 2 novembris, celebratur iuxta quæ in Missali et Lectionario Romano indicantur, textibus aptioribus selectis.

**124.** In hac vero die consuetudo Ordinis servari præstat ad coemeterium professionaliter eundi<sup>13</sup> vel stationem orationis apud sepulcra ordinandi. Hæc actio liturgica haberi potest sive post Missam sive post Horam medium vel Vespertas. Celebratio ordinari potest adhibendo schemata vel indicationes sequentes.

a) iuxta Rituale Ordinis processio ad cœmeterium procedit per stationes in quibus lectio fit Evangelii congruens atque oratio pro defunctis dicitur. Inter stationes canitur responsorium, hymnus vel canticum. In statione quæ fit in cœmeterio lectio fit Evangelii secundum Ioannem 11,17-27 et oratio seligitur ex iis quæ in hoc Rituali (App. II, p. 89 sqq.) præbentur;

b) si præferatur, schema adhiberi potest in aptationibus linguisticis libri *De benedictionibus* propositum, ubi “de benedictione sepulcrorum in Commemoratione omnium defunctorum” agitur;

c) si communitas processionaliter ad cœmeterium se conferre non potest, præstat ut celebratio ordinetur, nonnullis saltem fratribus, sororibus vel laicis adstantibus, sive per benedictionem sepulcrorum sive, si casus fert, per celebratiōnem eucharisticam, sicubi sacellum ad hoc existat.

**125.** Hæc processio ad cœmeterium vel saltem oratio pro benedictione sepulcrorum ordinari possunt etiam die 8 novembris, in Commemoratione omnium fratrum vel sororum defunctorum O.P.

---

<sup>13</sup> Cf. PS, pp. 290-300.



## **APPENDIX**



# I

## PRO LITURGIA HORARUM SEU VIGILIIS APUD DEFUNCTUM

### A) ELEMENTA PRO LITURGIA HORARUM

#### 1. Antiphonæ variæ

##### Ad psalmos

Commoditatis causa hic enumerantur psalmi pro defunctis cum suis antiphonis selecti:

**Ps 5 - Ant.** Dírige, Dómine Deus meus, in conspéctu tuo viam meam. (**PS**, p. 241)

**Ps 6 - Ant.** Convrétere, Dómine, et éripe ánimam meam, quóniam non est in morte qui memor sit tui. (**PS**, p. 242)

**Ps 22 - Ant.** In loco páscuæ ibi me collocávit. (**PS**, p. 248)

**Ps 24 - Ant.** Delícta iuventútis meæ et ignorántias ne mémineris, Dómine. (**PS**, p. 250)

**Ps 26 - Ant.** Credo vidére bona Dómini in terra vivéntium. (**PS**, p. 251)

**Ps 39 - Ant.** Compláceat tibi, Dómine, ut éruas me; ad adiuvándum me respice. (**PS**, p. 256)

**Ps 40 - Ant.** Sana, Dómine, ánimam meam, quia peccávi tibi. (**PS**, p. 258)

**Ps 41 - Ant.** Sitívit ánima mea ad Deum vivum, quando véniam et apparébo ante fáciem Dómini. (**PS**, p. 259)

**Ps 50 - Ant.** Exsultábunt Dómino ossa humiliáta. (**PS**, p. 264)

**Ps 62 - Ant.** Me suscépit dexterá tua, Dómine. (**PS**, p. 266)

**Ps 64 - Ant.** Exáudi, Dómine, oratióne meam; ad te omnis caro véniat. (**PS**, p. 265)

**Ps 83 - Ant.** Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine. (**AG**, p. 252)

**Ps 114 - Ant.** Placébo Dómino in regióne vivórum. (**PS**, p. 229)

**Ps 119 - Ant.** Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est. (**PS**, p. 229)

**Ps 120 - Ant.** Dóminus custódit te ab omni malo: custódiat ánimam tuam Dóminus. (**PS**, p. 230)

**Ps 129 - Ant.** Si iniquitátes observáveris, Dómine, Dómine, quis sustinébit? (**PS**, p. 231)

**Ps 137 - Ant.** Ópera mánuum tuárum, Dómine, ne despícias. (**PS**, p. 232)

**Ps 142 - Ant.** Propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me in æquítáte tua. (**AG**, p. 243)

**Ps 145 - Ant.** Audívi vocem de cælo dicéntem mihi: Beáti mórtui, qui in Dómino moriúntur. (**PS**, p. 233)

**Ps 150 - Ant.** Omnis spíritus laudet Dóminum. (**PS**, p. 268)

### Ad cantica

**Ad Benedictus, ant.** Ego sum resurréctio et vita: qui credit in me, étiam si mórtuus fúerit, vivet: et omnis, qui vivit et credit in me, non moriétur in æténum. (**AG**, p. 1017)

**Vel:**

Ego sum óstium, dicit Dóminus: per me si quis introíerit, salvábitur, et páscua invéniet, allelúia. (**LHOP**, p. 519; **PS**, p. 269)

**Ad Magnificat, ant.** Non turbétur cor vestrum, neque formídet: créditis in Deum, et in me crídite: in domo Patris mei mansiónes multæ sunt, allelúia, allelúia. (**LHOP**, p. 519; **AG**, p. 798)

**Vel:**

Audívi vocem de cælo dicéntem mihi: Beáti mórtui qui in Dómino moriúntur. (**PS**, p. 233)

Vel:

Réquiem aeternam dona eis, Dómine, et lux perpetua luceat eis.  
(AG, p. 1018; PS, p. 270)

**Ad cantica Officii vigiliæ, ant.** Crucem sanctam subiit, qui inférnum confrégit: accinctus est poténtia, surréxit die tértia, allelúia.  
(LHOP, p. 664; AG, p. 799)

## 2. Lectiones diversæ

- a) **Lectiones biblicæ:** ut in Rituali Romano (OE, nn. 83-144).
- b) **Lectiones Patrum vel scriptorum ecclesiasticorum:**
  - ut in Officio defunctorum Liturgiæ Horarum;
  - ut in *Proprio Officiorum Ordinis Prædicatorum*, ad diem 8 novemboris (LHOP, pp. 510-519);
  - ut in Lectionariis complementaribus, sive Ordinis sive Provinciarum.

## 3. Responsoria

1

**R.** Subveníte, sancti Dei, occúrrite, ángeli Dómini, suscipiéntes ániam eius, offeréntes eam \* in conspéctu Altíssimi.

**V.** Chorus angelórum eam suscípiat, et in sinum Ábrahæ eam cólloket, \* in conspéctu Altíssimi. (*Eccl. Off.*, f. 56v et 64v; PS, p. 191; GR, p. 692)

2

(cf. Iob 19,25.26-27)

**R.** Credo quod Redémptor meus vivit, et in novíssimo die de terra surrectúrus sum: et in carne mea vidébo Deum \* Salvatórem meum.

**V.** Quem visúrus sum ego ipse, et non álius, et óculi mei conspectúri sunt \* Salvatórem meum. (PS, p. 245; GR, p. 694)

3

(cf. Io 11,39; 1 Cor 3,15)

**R.** Qui Lázarum resuscitásti a monuménto fœtidum, \* tu eis, Dómine, dona réquiem et locum indulgentiæ.

**V.** Qui ventúrus es iudicáre vivos et mórtuos et sǽculum per ignem, \* tu eis Dómine, dona réquiem et locum indulgentiæ. (PS, p. 246)

## 4

**R.** Ántequam násckerer, novísti me; ad imáginem tuam, Dómine, formásti me. \* Modo reddo tibi Creatóri ánimam meam.

**V.** Commíssa mea pavésco, et ante erubésco: dum véneris iudicáre, noli me condemnáre. \* Modo reddo tibi Creatóri ánimam meam.

(*Eccl. Off.*, f. 64v; *PS*, p. 193; *GR*, p. 694)

## 5

(cf. *Bar* 3,2; *Iudt* 7,19; *Ps* 103,6)

**R.** Emendémus in mélius quæ ignoránter peccávimus: ne súbito præoccupáti die mortis quærámus spátium pæniténtiæ, et inveníre non possímus. \* Atténde, Dómine, et miserére, quia peccávimus tibi.

**V.** Peccávimus cum pátribus nostris: iniúste égimus, iniquitátem fécimus. \* Atténde, Dómine, et miserére, quia peccávimus tibi.

(*LHOP*, p. 519; *AG*, p. 413)

## 6

(*Phil* 3,20-21; *Tit* 2,12-13)

**R.** Salvatórem exspectámus Dóminum Iesum Christum, \* qui refor-mábit corpus humilitatis nostræ, configurátum córpori claritatis suæ.

**V.** Sóbrie et iuste et pie vivámus in hoc sǽculo, exspectántes beá-tam spem et advéntum glóriæ magni Dei, \* qui reformábit corpus hu-militatis nostræ, configurátum córpori claritatis suæ.

(*LHOP*, p. 664; *AJ I*, p. 143)

## 7

(cf. *Is* 38,10; *Ps* 70,9)

**R.** Média vita in morte sumus: quem quárimus adiútórem nisi te, Dómine, qui pro peccátis nostris iuste irásceris? \* Sancte Deus, sancte fortis, sancte et misericors Salvátor, amáræ morti ne tradas nos.

**V.** Ne proícias nos in témpore senectútis; cum defécerit virtus no-stra, ne derelínquas nos, Dómine. \* Sancte Deus, sancte fortis, sancte et misericors Salvátor, amáræ morti ne tradas nos.

(*LHOP*, p. 695; *AG*, p. 106)

## 8

**R.** O spem miram, quam dedísti mortis hora te fléntibus, dum post mortem promisísti te profutúrum frátribus! \* Imple, Pater, quod dixísti, nos tuis iuvans précibus.

V/. Qui tot signis claruísti in ægrórum corpóribus, nobis opem ferens Christi, ægris medére móribus. \* Imple, Pater, quod dixísti, nos tuis iuvans précibus.  
(LHOP, p. 685; AG, p. 879)

#### 4. Formularia orationis fidelium

- ut hic infra, p. 99 sqq.;
- ut in Rituale Romano (OE, nn. 200-202);
- ut in *Proprio Officiorum Ordinis Praedicatorum* (LHOP, p. 520).

#### 5. Orationes conclusivæ

Vide infra, p. 89 sqq.

### B) PRO CELEBRATIONE VERBI DEI VEL LUCERNARIO

#### 1. Celebratio verbi Dei

Celebratio verbi Dei apud defunctum, de qua supra (nn. 29-32) agitur, hoc modo ordinatur: præmissa monitione introductoryia, post psalmodiam fit lectio bibliæ, si placet cum responsorio. Interposito silentio, fit lectio altera ex operibus Patrum vel scriptorum ecclesiasticorum; loco huius lectionis Prior vel Priorissa vel Cappellanus adstantes alloqui potest.

Fieri potest etiam lectio post unumquemque psalmum, ita ut post Vetus Testamentum sequatur Novum et in fine Evangelium. Universa celebratio oratione universalis seu fidelium et *Oratione dominica*, vel aliqua oratione apta, opportune concluditur.

#### 2. Celebratio verbi Dei in connexione cum Completorio

Quando hæc celebratio hora Completorii habenda est, ita ordinari potest:

- a) **versus introductorius:** Deus, in adiutorium meum inténde;
- b) **hymnus congruus;**
- c) **psalmodia, pro qua loco psalmorum in Liturgia Horarum indicatorum, seligi possunt alii psalmi;**
- d) **lectio biblica longior cum responsorio, interposito spatio silentii;**
- e) **lectio altera biblica vel Patrum vel scriptorum ecclesiasticorum, aut allocutio;**
- f) **canticum evangelicum Simeonis Nunc dimíttis;**
- g) **supplicatio litanica;**
- h) **oratio et benedictio;**
- i) **antiphonæ finales ad B. Mariam Virginem (Salve Reginæ) et ad S. P. Dominicum (O lumen vel O spem miram).**

### 3. Celebratio verbi Dei ad Lucernarium

In morte fratris vel sororis celebratio verbi Dei potest fieri cum ritu Lucernarii, modo sequenti:

- a) *introductio: cantus initialis, monitio præsidentis, oratio;*
  - b) *liturgia verbi: hymnus ad Christum verum lumen, cum accensione cereorum vel lampadum circa defunctum vel defunctam; deinde psalmus 141 et canticum Phil 2,6-11.*
- Tunc leguntur textus e Sacra Scriptura vel ex operibus Patrum vel scriptorum ecclesiasticorum desumpti. Postea, si placet, fit brevis allocutio;
- c) *intercessiones pro defuncto vel defuncta;*
  - d) *canticum evangelicum Simeonis Nunc dimittis;*
  - e) *oratio et benedictio finalis.*

## C) ELEMENTA ET INDICATIONES PRO ALIIS CELEBRATIONIBUS

Pro vigiliis apud defunctum vel defunctam, modo familiari sive domestico peractis (supra, n. 29), nonnulla elementa hic proponuntur, ad celebrationem ordinandam atque meditationem vel orationem sustinendam.

### 1. VERSUS EX EVANGELIO DEPROMPTI

Veníte, benedícti Patris mei, dicit Dóminus; Mt 25,34  
possidéte parátum vobis regnum a constitutióne mundi.

Hæc est volúntas Patris mei,  
ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo,  
sed resúscitem illud in novíssimo die. Io 6,40.39

Conversátio nostra in cælis est,  
unde étiam Salvatórem exspectámus  
Dóminum nostrum Iesum Christum. Phil 3,20

Si commórtui sumus cum Christo, et convivémus;  
si sustinébimus, et conregnábimus. 2 Tim 2,11-12a

## 2. VERSUS E PSALMIS DEPROMPTI

Ad modum “*Versuum de Passione Domini*”<sup>1</sup> sanctæ Catharinæ de Ricci tributorum, hæc selectio vel alia similis adhiberi potest.

Dóminus adiútor et protéctor meus  
et in ipso sperávit cor meum  
et adiútus sum.

Replébimur in bonis domus tuæ,  
quia sanctum est templum tuum, Dómine.

Ánima mea, magnífica Deum,  
quia fecit mihi magna qui potens est,  
et sanctum nomen eius.

Deus misereáтур nobis, et benedícat nos,  
illúminet vultum suum super nos.

Salus vultus tui, Deus, suscépit me;  
laudábo nomen Dei cum cántico;  
magnificábo eum in laude.

Tuus sum ego: salvum me fac,  
quóniam mandáta tua exquisívi.<sup>2</sup>

## 3. INTRODUCTIONES AD ORATIONEM DOMINICAM

Qui uníus Patris fílli, per Christi passiónem et resurrectiónem,  
effécti sumus et in eiúsdem Spíritu unánimes habitámus in domo, Pa-  
trem exorémus oratióne ipsíus Christi. [LHOP, p. 576]

Exémplum Christi secúti, qui cruci affíxus voluntáti Patris se trádi-  
dit eúmque pro persecutóribus exorávit, misericordiárum Patrem de-  
precémur dicéntes. [LHOP, p. 584]

Sanctæ Dei Genetrícis sempérque Vírginis Maríæ et Sanctórum  
ómniū memóriam recólimus, ut ipsis pro nobis orántibus, véniam a  
Dómino mereámur accípere. [LHOP, p. 765]

---

<sup>1</sup> LHOP, pp. 723-725.

<sup>2</sup> Cf. RE Ambr., n. 226.

Sanctæ et immaculatæ Dóminæ nostræ, gloriósæ Dei Genetrícis sempérque Vírginis Maríæ, sancti Domínici et ómnium Sanctórum Órdinis nostri memóriam faciéntes atque auxílium postulántes, nosmetíp-sos et ívicem totámque vitam nostram Deo commendémus:

[LHOP, p. 766]

Nunc ora nostra résonent oratióne domínica, quæ supplicatiónes nostras in unum còlligit atque confírmat:

[LHOP, p. 295]

#### 4. INTRODUCTIONES AD PROFESSIONEM FIDEI

In spe resurrectiōnis et ætérnæ vitæ nostram fidem profiteámur.<sup>3</sup>

**Vel:**

Fides in Deum, Patrem nostrum,  
in Iesum Salvatórem  
et in Spíritum vivificántem,  
fortes nos fáciat et serénos.<sup>4</sup>

**Vel:**

Útique crédimus, Dómine,  
sed fidem nostram adáuge.<sup>5</sup>  
Fratrem nostrum (Sorórem nostram) tibi commendántes,  
uni cum Ecclésia dícimus:

#### 5. INTRODUCTIONES AD SALUTATIONEM ANGELICAM

Beáta Mater et intácta Virgo, gloriósa Regína mundi, intercéde pro nobis ad Dóminum.

(AG, p. 931)

Hæc est Regína Vírginum, quæ géniuit Regem, velut rosa decóra Virgo. Dei Génetrix, per quam repérimus Deum et hóminem, alma Virgo, intercéde pro nobis ómnibus.

(AG, p. 1057)

<sup>3</sup> RE Ambr., n. 118.

<sup>4</sup> RE Ambr., n. 80.

<sup>5</sup> Cf. Lc 17,5; Mc 9,23.

Deus, qui Maríam iuxta crucem stantem roborásti et in die resurrectiónis Fílii tui replésti lætítia, per eius intercessiónem tribulatiónes súbleva nostras spemque nostram érige. (LHOP, p. 596)

In omni tribulatióne et angústia subvéniat nobis Virgo María: ad societátem cívium supernórum perdúcet nos Regína Angelórum. (LHOP, p. 604)

Benigníssime Iesu, qui pendens in cruce Maríam Ioánni matrem dedísti, da nobis ita eam invocáre ut eius filii agnoscámur.

(cf. LHOP, p. 613)

Matérnitas tua, Dei Génetrix Virgo, gáudium annuntiávit univérso mundo: ex te enim ortus est Sol iustítiae, Christus Deus noster, qui solvens maledictiónem dedit benedictiónem, et confúndens mortem donávit nobis vitam sempitérnam. (LHOP, p. 620)

Maríam Vírginem invocémus, ut, quæ fuit spe secúra in die se-pultúræ Fílii sui, dóceat nos ut vigilémus, eius advéntum exspectántes.

(cf. LHOP, p. 620)

Per Maríam Vírginem gáudio lætántem in resurrectiōne tua, adáuge nobis fidem, Salvátor noster, et salva nos. (LHOP, p. 621)

Fidélis et miséricors Deus, qui Prædicatórum Órdinem singulári beatæ Maríæ Vírginis patrocínio commíttere voluísti, præsta quæsumus, ut sicut ipsa, in præsénti, vita dulcédo et spes nostra exstat, ita Fílium tuum in éxitu nobis misericorditer osténdat. (LHOP, p. 621)

## 6. INTRODUCTIONES AD INVOCATIONEM SANCTI DOMINICI

Patrem nostrum Domínicum invocémus ut, memor nostri, stet co-ram summo Iúdice pro suo cœtu páuperum. (cf. AG, p. 885)

Magne pater sancte Domínice, mortis hora nos tecum súscipe et hic semper nos pie réspice. (LHOP, p. 322; AG, p. 881)

Beáte Domínice, qui in voluntáte Patris libénter perstitísti, quos ipse dedit tibi recomménda, custódi et consérva. (cf. LHOP, p. 294)

## 7. BENEDICTIONES FINALES

Benedícat vos Deus totius consolatiónis, qui hóminem ineffábili bonitáte creávit, et in resurrectiōne Unigéniti sui spem credéntibus resurgéndi concéssit.

**R.** Amen.

Nobis, qui vívimus, véniam tríbuat pro peccátis, et ómnibus defúnctis locum concédat lucis et pacis.

**R.** Amen.

Ut omnes cum Christo sine fine felíciter vivámus, quem resurrexísse a mórtuis veráciter crédimus.

**R.** Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,  
Pater et Filius ☩ et Spíritus Sanctus.

**R.** Amen.<sup>6</sup>

**Vel:**

Benedícat vos Deus omni benedictiōne cælesti,  
sanctósque vos et puros in conspéctu suo semper effíciat;  
divítias gloriæ suæ in vos abundánter effundat,  
verbis veritatis ínstruat, Evangélio salútis erúdiat,  
et caritáte fratérna semper locuplétet.  
Per Christum Dóminum nostrum.

**R.** Amen.<sup>7</sup>

**Vel:**

Pax Dei, quæ exsúperat omnem sensum,  
custódiat corda vestra et intellegéntias vestras  
in sciéntia et caritáte Dei et Fílii sui, Iesu Christi Dómini nostri.

**R.** Amen.<sup>8</sup>

---

<sup>6</sup> MR<sup>3</sup>, p. 615; MLOP, p. 251.

<sup>7</sup> MR<sup>3</sup>, p. 612; MLOP, p. 252.

<sup>8</sup> LHOP, p. 521.

## II

### ORATIONES VARIAE

#### A) ORATIONES CONCLUSIVÆ

##### 1. Orationes e libris liturgicis depromptæ

Orationes conclusivæ pro celebrationibus defunctorum seligi possunt e libris liturgicis hic infra indicatis. In ipsis aptandis et adhibendis, earum peculiare genus respiiciatur, sive orationes suffragii sint sive pro lugentibus sive orationes ampliores:

- e Rituale Romano (OE, nn. 170-181 et 202). Præter has orationes, sumi possunt orationes quæ pro Missis defunctorum in Missali Romano (MR<sup>3</sup>, pp. 1191 sqq.);
- e *Proprio O. P.* (LHOP, pp. 100 et 519; MLOP, pp. 151, 216, 250).

#### Orationes “simplices” post obitum vel pro celebratione verbi Dei

Tibi, Dómine, commendámus ánimam fámuli tui (fámulæ tuæ) N., ut defúnctus (defúncta) sáculo, tibi vivat; et quæ per fragilitátem humánæ conversatiónis peccáta commísit, tu vénia misericordíssimæ pietátis abstérge. Per Christum Dóminum nostrum.<sup>9</sup>

**R.** Amen.

Partem beatæ resurrectiōnis obtíneat fámulus tuus (fámula tua) N. vitámque ætérnam habére mereátur in cælis. Per te, Iesu Christe, Salvátor mundi, qui cum Patre et Spíritu Sancto vivis et regnas Deus, per ómnia sácula sáculórum.<sup>10</sup>

**R.** Amen.

Deus, cui soli cómpetit medicínam præstare post mortem, præsta, quásimus, ut ánima fámuli tui (fámulæ tuæ) N., terrénis exúta contágiis, in tuæ redemptiōnis parte numerétur. Per Christum Dóminum nostrum.<sup>11</sup>

**R.** Amen.

---

<sup>9</sup> Cf. *Eccl. Off.*, f. 56v; PS, p. 181.

<sup>10</sup> Cf. *Eccl. Off.*, f. 57r; PS, p. 185.

<sup>11</sup> *Eccl. Off.*, f. 57r; PS, p. 186.

Súscipe, Dómine, ánimam servi tui (*ancíllæ tuæ*) **N.**, quam de ergástulo huius sæculi vocáre dignátus es, et líbera eam de princípibus tenebrárum et de locis pœnárum: ut, absolúta ómnium vínculo peccatórum, quiétis ætérnæ beatitúdine perfruátur, et inter sanctos et éléctos tuos in resurrecciónis glória resuscitári mereátur. Per Christum Dóminum nostrum.<sup>12</sup>

**R.** Amen.

Fac, quásumus, Dómine, hanc cum servo tuo defúncto (*ancilla tua defúncta*) misericórdiam et ut factórum suórum in pœnis non recípiat vicem, qui (*quæ*) tuam in votis ténuit voluntátem: et quia hic illum (*illum*) vera fides iunxit fidélium turmis, illic eum (*eam*) miserátió tua sóciet angélicis choris. Per Christum Dóminum nostrum.<sup>13</sup>

**R.** Amen.

### Orationes diversæ pro defunctis

#### Pro episcopo

Deus, qui inter apostólicos sacerdótes fámulum tuum **N.** epíscopum (*vel cardinálem*) pontificáli fecísti dignitáte vigére, præsta, quásumus, ut eórum quoque perpétuo aggregétur consórtio. Per Christum Dóminum nostrum.<sup>14</sup>

**R.** Amen.

#### Pro sacerdote

Præsta, quásumus, Dómine, ut áнима fámuli tui **N.** sacerdótis, quem in hoc sǽculo commorántem sacris munéribus decorásti, in cælesti sede gloriósa semper exsúltet. Per Christum Dóminum nostrum.<sup>15</sup>

**R.** Amen.

#### Pro diacono

Concéde, quásumus, miséricors Deus, ánimæ fámuli tui **N.** diáconi felicitátis ætérnæ consórtium, cui donásti in Ecclésia tua cónsequi místérium. Per Christum Dóminum nostrum.<sup>16</sup>

**R.** Amen.

---

<sup>12</sup> *Eccl. Off.*, f. 57r; PS, p. 186.

<sup>13</sup> PS, p. 194.

<sup>14</sup> MR<sup>3</sup>, p. 1220; cf. PS, p. 195.

<sup>15</sup> MR<sup>3</sup>, p. 1220.

<sup>16</sup> MR<sup>3</sup>, p. 1222.

### Pro religioso vel religiosa

Præsta, quāsumus, omnīpotens Deus, ut áнима fámuli tui (fámulæ tuæ) N., qui (quæ) pro Christi amōre perféctæ caritatis viam percúrrit, in advéntu gloriæ tuæ lætétur et cum frátribus (soróribus) suis de regni tui beatitúdine gáudeat sempitérna. Per Christum Dóminum nostrum.<sup>17</sup>

R. Amen.

### Pro defuncto vel defuncta qui in servitio Evangelii laboravit

Misericórdiam tuam, Dómine, pro fámulo tuo (fámula tua) N. súpplices deprecámur, ut, qui (quæ) pro Evangélio dilatándo allaborávit assíduus (assídua), ad prémia regni mereátur intráre secúrus (secúra). Per Christum Dóminum nostrum.<sup>18</sup>

R. Amen.

### Pro alio defuncto vel defuncta

Inclína, Dómine, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericórdiam tuam súpplices deprecámur, ut ánimam fámuli tui (fámulæ tuæ) N., quam de hoc sǽculo migráre iussísti, in pacis ac lucis régione constítuas et sanctórum tuórum iúbeas esse consórtem. Per Christum Dóminum nostrum.<sup>19</sup>

R. Amen.

### Pro pluribus defunctis

Fidélium, Deus, ómnium cónditor et redémptor, animábus famulórum famularúmque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum: ut indulgéntiam, quam semper optavérunt, piis supplicatióibus consequántur. Per Christum Dóminum nostrum.<sup>20</sup>

R. Amen.

---

<sup>17</sup> MR<sup>3</sup>, p. 1223.

<sup>18</sup> MR<sup>3</sup>, p. 1223.

<sup>19</sup> Eccl. Off., f. 57v; cf. GeV, n. 1686; PS, p. 195; OE, n. 33.

<sup>20</sup> Eccl. Off., f. 57r; cf. PS, p. 235; OE, n. 201.

## Orationes pro vivis et defunctis communes

### Pro defuncto et pro lugentibus

Diri vúlneris novitáte percúlsi et quodámmodo sauciáti, misericórdiam tuam, mundi Redémptor, flebílibus vócibus implorámus, ut cari fratris nostri (*caræ sororis nostræ*) ánimam ad tuam cleméntiam, qui fons pietatis es, reverténtem, blande lenitérque suscípias; et si quas illa ex carnáli commoratióne contráxit máculas, tu Deus, sólita bonitáte cleménter déleas, pie indúlgeas, oblívioni in perpétuum tradas, atque hanc tibi laudem cum céteris redditíram, sanctórum cœtibus aggregári præcípias. Qui vivis et regnas in sǽcula sǽculórum.<sup>21</sup>

**R.** Amen.

**Vel:**

Temeritatis quidem est, Dómine, ut homo hóminem tibi, Deo nostro, áudeat commendare; sed quia pulvis convértitur in púlverem, do-nec omnis caro in suam redigátur oríginem, inde tuam, piíssime Pater, quásumus pietátem, ut hunc fámulum tuum **N.** fratrem nostrum (*fámulum tuam N. sororem nostram*), quem (*quam*) de hoc sǽculo ducis ad pátriam, refrigerii rore perfúndas et beatæ requiéi coniúngas. Indulgéntiae tuæ piam séntiat bonitátem ut, finito mundi térmíno, cum supérnum cunctis illúxerit regnum, sanctórum ómnium cœtibus aggregátus (*aggregata*), cum eléctis tuis beatus (*beata*) resúrgat. Per Christum Dóminum nostrum.<sup>22</sup>

**R.** Amen.

### Pro vivis et defunctis

Hic duo orationes præbentur ad Missas “pro Familia Dominicana”, “pro parentibus” et “pro familiaribus” adhibendæ, cum uno e formulariis in Missali Romano (“Missæ pro variis necessitatibus”, MR<sup>3</sup>, nn. 40, 41, 49) præbitis.

Pietate tua, quásumus, Dómine, nostrorum solve víncula peccatórum: et intercedénte beatá María semper Vírgine cum ómnibus sanctis tuis, nos fámulos tuos in omni sanctitáte custódi, omnésque nobis coniúctos a vítiis purga, virtútibus illústra, pacem et salútem ómni-

<sup>21</sup> Gre, n. 4059; GeV, n. 1608; *Eccl. Off.*, f. 57r; PS, p. 185 emend.

<sup>22</sup> Cf. ASOP 1977, p. 159; PS, p. 204 sq.

bus trībue, fruges terrae concēde, et fidēlibus vivis et defūctis vitam páriter et réquiem ætérnam largíre. Qui vivis et regnas in sācula sæculórum.<sup>23</sup>

**R.** Amen.

**Vel:**

Omnípotens sempitérne Deus, qui vivórum domináris simul et mortuórum omniúmque miseréris quos tuos fide et ópere futúros esse prænóscis, te súpplices exorámus, ut pro quibus effúndere preces de-crémus, quosque vel præsens sáculum adhuc in carne rétinet vel futúrum iam exútos córpore suscépit, intercedéntibus ómnibus sanctis tuis, pietátis tuæ cleméntia ómnium delictórum suórum véniam conse-quántur. Per Christum Dóminum nostrum.<sup>24</sup>

**R.** Amen.

### In anniversariis

**Pro patribus et matribus (die 7 febr.)**

Deus, qui nos patrem et matrem honoráre præcepísti, miserére cleménter paréntibus nostris eorúmque peccáta dimítte, nosque eos in ætérnæ claritátis gáudio fac vidére. Per Christum Dóminum nostrum.<sup>25</sup>

**R.** Amen.

**Pro familiaribus et benefactoribus defunctis (die 5 sept.)**

Deus, véniae largítor et humánæ salútis auctor, quæsumus cleméntiam tuam, ut nostræ congregatiónis fratres, soróres, familiáres et benefactóres, qui ex hoc sáculo transiérunt, beáta María semper Vírgine intercedénte cum ómnibus Sanctis tuis, ad perpé-tuæ beatitúdinis consórtium perveníre concédas. Per Christum Dó-minum nostrum.<sup>26</sup>

**R.** Amen.

<sup>23</sup> Cf. MOP, p. [93].

<sup>24</sup> MOP, p. [94].

<sup>25</sup> MLOP, p. 151; MR<sup>3</sup>, p. 1225; cf. *Eccl. Off.*, f. 49v; PS, p. 294.

<sup>26</sup> MR<sup>3</sup>, p. 1225; MLOP, p. 216; cf. *Eccl. Off.*, f. 49v; PS, p. 292.

### Pro fratribus et sororibus (die 8 nov.)

Deus, qui nos ad eándem spem mirífice vocas, súpplices pro frátribus et soróribus nostris defúnctis exorámus, ut, quos in hac vita ineffábili amóre dilexísti, quosque apostólica caritáte tibi deservíre in Evangélii prædicatióne donásti, in pace et gáudio tecum benígnus recípias. Per Christum Dóminum nostrum.<sup>27</sup>

R. Amen.

### In commemoratione vel anniversario unius defuncti vel defunctæ

Deus indulgentiárum, Dómine, da ánimæ fámuli tui (fámulæ tuæ), cuius anniversárium depositiónis diem commemorámus, refrigérii sedem, quiétis beatitúdinem et lúminis claritátem. Per Christum Dóminum nostrum.<sup>28</sup>

R. Amen.

### In commemoratione vel anniversario plurium defunctorum

Deus indulgentiárum, Dómine, da animábus famulórum tuórum (famulárum tuárum), quorum (quarum) anniversárium depositiónis diem commemorámus, refrigérii sedem, quiétis beatitúdinem et lúminis claritátem. Per Christum Dóminum nostrum.<sup>29</sup>

R. Amen.

#### Vel:

Omnípotens sempítérne Deus, cui númerum sine spe misericórdiæ supplicátur, propitiáre animábus famulórum famularúmque tuárum: ut qui de hac vita in tui nóminis confessióne decessérunt, sanctórum tuórum númeru fáciás aggregári. Per Christum Dóminum nostrum.<sup>30</sup>

R. Amen.

#### Vel:

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut áimas famulórum famularúmque tuárum, ab Ángelis lucis suscéptas, in præparáta habitácula dedúci fáciás beatórum. Per Christum Dóminum nostrum.<sup>31</sup>

<sup>27</sup> MLOP, p. 250.

<sup>28</sup> PS, p. 289.

<sup>29</sup> PS, p. 289.

<sup>30</sup> PS, p. 295.

<sup>31</sup> PS, p. 296.

**Vel:**

Animábus, quæsumus, Dómine, famulórum famularúmque tuárum, orátio profíciat supplicántium, ut eas et a peccátis ómnibus éxuas et tuæ redemptiónis fárias esse partícipes. Qui vivis et regnas in sǽcula sǽculórum.<sup>32</sup>

**R.** Amen.

### Orationes in cœmeterio dicendæ, in anniversario defunctorum

Satisfáciat tibi, Dómine Deus noster, pro fámulo tuo **N.** fratre nostro (fámula tua **N.** soróre nostra) sanctæ Dei Genetrícis sempérque Vírginis Maríæ et beáti Patris nostri Domínici omniúmque sanctórum Órdinis nostri orátio et præséntis familiæ tuæ húmilis et devóta supplicátio, ut peccatórum ómnium véniam obtíneat quem (quam) Fílii tui Dómini nostri Iesu Christi pretiósó sanguine redemísti. Qui vivit et regnat in sǽcula sǽculórum.<sup>33</sup>

**R.** Amen.

**Vel:**

Deus, cuius miseratióne ánimæ fidélium requiéscunt, fámulis et famulábus tuis ómnibus hic et ubíque in Christo quiescéntibus da propítius véniam peccatórum, ut a cunctis reátibus absolúti, tecum sine fine läténtur. Per Christum Dóminum nostrum.<sup>34</sup>

**R.** Amen.

**Vel:**

Absóve, Dómine, ánimam fámuli tui (fámulæ tuæ) et ánimas famulórum famularúmque tuárum, ab omni vínculo delictórum, ut in resurrectiónis glória inter sanctos et eléctos tuos resuscitáti respírent. Per Christum Dóminum nostrum.<sup>35</sup>

**R.** Amen.

<sup>32</sup> PS, p. 296.

<sup>33</sup> ASOP 1977, p. 159; cf. PR II, p. 512; *Eccl. Off.*, f. 65v; PS, p. 207 emend.

<sup>34</sup> ASOP 1977, p. 159; cf. Gre, n. 1444; *Eccl. Off.*, f. 65v; PS, p. 207 emend.

<sup>35</sup> PS, p. 208.

## 2. Orationes e *Libello precum O.P.*<sup>36</sup> depromptæ

1. Dómine Deus, Pater Dómini nostri Iesu Christi, qui nos elegísti et prædestinásti in Fílio tuo, ut essémus in laudem gloriæ tuæ in domo servi tui Domínici, pro collátis donis grátias ágimus tibi, et te deprecámur ut omnes vivos et defúnctos, in domo tua, sanctos et immaculátos, coram te, collocáre dignérис. [LHOP, p. 741]

2. Pater imménsæ maiestátis, exáudi fílios tuos glóriam tuam celebrántes; creásti nos ad te et fecísti nos pópulum tuum in domo Domíni. Fac nos in splendóre vultus tui prógredi et in lucem tuam omnes fratres defúnctos áccipe. [LHOP, p. 741]

3. Deus amórís et fidelitátis, Domínicum et Órdinem eius beátæ Maríæ Vírginis patrocínio commíttere volústi. Præsta quásimumus, ut sicut in præsénti vita dulcédo et spes nostra ipsa éxstitit, ita Fílium tuum, último die, misericórditer osténdat. [LHOP, p. 741]

## B) ORATIONES SUPER PSALMOS

### Ps 22: *Dominus pascit me*

Dómine Iesu Christe, bone Pastor Ecclésiæ,  
qui renátos aquis baptísmatis óleo salútis inúngis,  
ad páscua viréntia cónvocas  
et ad mensam invítas ubérrimam,  
gregem tuum deduc per sémitas vitæ,  
ut, depúlsis terróribus mortis antíquæ  
et errórum ténebris effugátiis,  
in átriis sanctis requiéscat secúrus  
et in longítudine diérum in domo Patris tecum inhábitet.

### Ps 24: *Ad te, Domine, levavi*

Dómine Deus, qui per Fílium tuum peccatóribus pepercísti,  
ut misericórdiæ tuæ et amórís osténderes veritátem,  
ne memíneris peccáta nostra,

---

<sup>36</sup> LHOP, p. 741.

vias tuas nobis osténde,  
álleva angústiam nostram  
et tui exspectatióne pópuli ne confúndas,  
ut, aëternórum felicitáte diérum, Ecclésiæ spes compleátur.

**Ps 26: Dominus illuminatio mea**

Deus, in te sperántium protéctor et virtus,  
qui Fílium tuum Unigénitum obsecrántem  
in die malórum protexísti in abscónditio tabernáculi tui,  
præsta, quásumus, fámulis tuis,  
qui in die tribulatiónis fáciem tuam requírunt,  
ut vídeant bona Dómini in terra vivéntium.

**Ps 50: Miserere mei, Deus**

In spíritu humilitáti et in ánimo contríto  
peccátum nostrum confítémur.  
Miserére nostri, Dómine, secúndum magnam misericórdiam tuam.  
Spíritus Sanctus, infiníta cáritas,  
ipse solus in nobis cor mundum valet creáre  
salutísque lætítiam propítius réddere,  
qui nobis datus est  
per Fílium tuum Iesum Christum, Salvatórem nostrum.

**Ps 62: Deus, Deus meus es tu**

Nobis vigilántibus ad te, Deus,  
lumen largíre perpétuum,  
auctor lucis aëternæ,  
ut te lábia nostra laudent,  
te vita benedícat,  
te labor noster gloríficet  
atque vox nostra célebret sine fine.

**Ps 102: Benedic, anima mea ... et omnia**

Deus benígne et Pater miséricors,  
qui baptísmate hóminum absólvis peccáta et rénovas iuventútem,  
recordáre, quásumus, quóniam pulvis sumus,  
neque secúndum iniquitátes nostras retríbuas nobis,  
ut tuis servátis præcéptis in novi fóedere testaménti,  
cum ángelis et sanctis tuis, tibi benedicámus.

**Ps 115: Credidi, etiam cum locutus sum**

Deus, qui pretiósam in conspéctu tuo  
mortem ómnium censes sanctórum,  
perpénde, quásumus, prétium redemptiónis nostræ,  
dolóres Christi,  
et dum adimplémus in carne ea quæ desunt passiónum ipsíus,  
súscipe benígnus nostram hóstiam laudis,  
ut iam nunc gáudiis futúræ Ierúsalem degustémus.

**Ps 122: Ad te levavi oculos meos**

Dómine Iesu Christe, qui vigilántibus servis  
ipse cum redíeris ministrábis,  
doce nos, quásumus, ad te leváre óculos nostros  
et levíssima quæque vestígia mánuum tuárum agnoscere,  
ut tuum iúgiter præstolémur advéntum  
et lucérnæ nostræ in domo tua novo lucéscant splendóre.

**Ps 125: In convertendo Dominus**

Dómine Iesu, vita et resurréctio nostra,  
qui in itu Parascéves et in réditu Paschæ,  
in lácrimis seminásti et in gáudio messuísti,  
rénova quásumus in Ecclésia tuæ virtútis prodígia,  
ut post huius mæstum iter exsílii,  
perveniámus in pátriam,  
portántes exsultatiónis manípulos.

**Ps 129: De profundis clamavi ad te**

Deus virtútis et pietátis,  
qui mittens Verbum tuum in mundum,  
auróram salútis ætérnæ homínibus ostendísti,  
ne derelíquas nos in profúndis iniquitátum nostrárum,  
sed exáudi tuam ad te clamántem Ecclésiam  
eiúsque, copiosa tua redemptiōne, adímple fidúciam.

**III****FORMULARIA PRO ORATIONE FIDELIUM****Anniversarium patrum et matrum defunctorum**

Fratres caríssimi (Soróres caríssimæ),  
per hanc Eucharistiam  
quam in memóriam offérimus  
nostrorum patrum et matrum defunctórum,  
misericórdiam Dómini invocémus:  
Iesu, audi nos.

**R.** Dómine Iesu, exáudi nos.

Meménto, Dómine, ómnium fidélium qui in te confidérunt  
et ex hoc mundo exiérunt:  
dona eis vitam ætérnam. **R.**

Meménto, Dómine, paréntum nostrorum  
qui nobis te largiénte vitam dedérunt  
tibíque nos magnanímiter obtulérunt:  
ætérnam eis remuneráre vitam. **R.**

Meménto, Dómine, ómnium qui casu repentina vel vi interficiúntur:  
éduc eos in tuam pacem et lucem. **R.**

Meménto, Dómine, eórum qui propter óbitum märent dilectórum:  
confórta cor eórum et fidem adáuge. **R.**

**Omnes hic possunt silentio precari. Deinde sacerdos concludit:**

Deus bonitatis infinítæ, ómnibus defúnctis  
réquiem ætérnam concéde.  
Qui Dóminus es omnis carnis,  
meménto quod nobis promisísti vitam.  
Per Christum Dóminum nostrum.

**R.** Amen.

**Anniversarium familiarium et benefactorum defunctorum**

Fratres caríssimi (Sorores caríssimæ),  
pro nostris familiáribus et benefactóribus defúnctis,  
qui dum vixérunt fuérunt nobis auxílio  
et ópere et exémplo et munéribus suis,  
Dóminum deprecémur:

**R.** Kýrie, eléison.

Pro nostris amícis, familiáribus et benefactóribus defúnctis  
quorum hódie memóriam fácimus,  
Dóminum deprecémur: **R.**

Ut in fonte vitæ mundéntur  
et gáudium partícipent sanctórum,  
Dóminum deprecémur: **R.**

Ut inter eléctos sédeant  
et cum ángelis claritátem glóriæ Dei  
méreant contemplári,  
Dóminum deprecémur: **R.**

Ut Agnum sequántur quocúmque íerit  
et cáanticum novum incessánter méreant proférre,  
Dóminum deprecémur: **R.**

*Omnes hic possunt silentio precari. Deinde sacerdos concludit:*

Deus qui véniam largíris,  
fámulis tuis quórum memóriam fácimus  
pacis concéde mansiónem,  
requiéi gáudium ac lúminis claritátem.  
Per Christum Dóminum nostrum.

**R.** Amen.

### Anniversarium fratrum et sororum defunctorum

Fratres caríssimi (Soróres caríssimæ), memóriam faciéntes  
fratrum et sorórū nostrórum qui a nobis discessérunt,  
Deum Patrem invocémus  
ut gáudium suum vivis et mórtuis largíri dignétur:  
**R.** Exáudi, Dómine, et miserére.

Pro ómnibus qui sine spe vivunt et moriúntur,  
ut apud credéntes soláciū et lätítiam invéniant,  
Dóminum deprecémur: **R.**

Pro frátribus nostris quos Christus míserat prædicáre verbum,  
ut nunc eo demum satiéntur,  
Dóminum deprecémur: **R.**

Pro soróribus nostris, quas Christus sibi mancipávit  
ut starent cum eo usque in ætérnum,  
Dóminum deprecémur: **R.**

Pro soróribus nostris, quas Christus vocávit ad eum sequéndum  
ut páuperes evangelizéntur,  
Dóminum deprecémur: **R.**

Pro familiáribus et benefactóribus nostris,  
qui ad lätítiam nostram laboravérunt:  
ut gáudiis Regni fruántur,  
Dóminum deprecémur: **R.**

**Omnes hic possunt silentio precari. Deinde sacerdos concludit:**

Dómine Deus, qui de ténebris nos vocásti  
in admirábile lumen tuum,  
preces nostras miserátus exáudi  
quas tibi offérimus pro ómnibus quos nunc memorávimus:  
fac ut una cum sanctis tuis vitam accípere mereántur.  
Per Christum Dóminum nostrum.

**R.** Amen.

### In exsequiis fratris vel sororis

Fratres caríssimi (Soróres caríssimæ),  
 in conversatióne fratris nostri (soróris nostræ) N.  
 signa devotiónis et dilectionis agnoscéntes  
 quæ in evangélico itínere nos róborant,  
 Deum Patrem nostrum benedicámus et súpplices invocémus:

R. Exáudi, Dómine, et miserére.

Pro fratre nostro (soróre nostra) N., qui (quæ) in te obdormívit,  
 ut post vitam offício verbi déditam  
 in domo Patris mansiónem accípiat,  
 Dóminum deprecémur: R.

Pro iis qui nunc adésse non potuérunt  
 et pro iis qui nostris précibus se commíttunt  
 ut testimónio fratris nostri (soróris nostræ) N. confirméntur,  
 Dóminum deprecémur: R.

Pro ægrotántibus et laborántibus,  
 ut mémores sint quod ‘pretiosa est in conspéctu Dómini  
 mors sanctórum eius’,  
 Dóminum deprecémur: R.

Pro ómnibus qui infírmis adsunt et sérviunt,  
 ut iis pietátem ac dilectionem Dei signíficent,  
 Dóminum deprecémur: R.

Pro nobis ómnibus hic adstántibus,  
 ut fides nostra hac celebratióne confirmétur  
 ac sensus fratérnæ communiónis augeátur et vígeat.  
 Dóminum deprecémur: R.

**Omnès hic possunt silentio precari. Deinde sacerdos concludit:**

Dómine Deus noster, qui beáto Domínico  
 eam dedísti grátiam qua unicuíque hóminum se próximum fáceret,  
 eándem nobis grátiam concéde  
 et fratrem nostrum (sorórem nostram) N. súscipe miserátus.  
 Per Christum Dóminum nostrum.

R. Amen.

**IV**

**PRECES PRO ULTIMA COMMENDATIONE  
SEU VALEDICTIONE**

**A) LITANIÆ SANCTORUM O.P. BREVES**

Kýrie, eléison	Kýrie, eléison
Christe, eléison	Christe, eléison
Kýrie, eléison	Kýrie, eléison
Sancta María, Mater Dei,	ora pro eo (ea)
Sancta María, Mater ecclésiæ,	ora pro eo (ea)
Sancta María, Regína Apostolórum,	ora pro eo (ea)
Sancte Míchael,	ora pro eo (ea)
Omnes sancti Ángeli et Archángeli,	oráte pro eo (ea)
Sancte Ioánnes Baptísta,	ora pro eo (ea)
Sancte Ioseph,	ora pro eo (ea)
Sancti Petre et Paule,	oráte pro eo (ea)
Sancte Ioánnes evangélista,	ora pro eo (ea)
Sancta María Magdaléna,	ora pro eo (ea)
Sancte Stéphane,	ora pro eo (ea)
Sancti Ignáti Antiochénæ,	ora pro eo (ea)
Sancte Pater Augustíne,	ora pro eo (ea)
Sancte Basíli,	ora pro eo (ea)
Sancte Pater Domínice,	ora pro eo (ea)
Sancte Francísce,	ora pro eo (ea)
Sancte Petre de Veróna,	ora pro eo (ea)
Sancte Hyacínthe,	ora pro eo (ea)
Sancte Albérte,	ora pro eo (ea)
Sancte Thomas de Aquíno,	ora pro eo (ea)
Sancte Raymúnde de Peñyafort,	ora pro eo (ea)
Sancte Vincénti Ferrer	ora pro eo (ea)
Sancta Margaríta de Hungaríæ	ora pro eo (ea)
Sancta Agnes de Montepulciáno	ora pro eo (ea)
Sancte Pie quinte papa	ora pro eo (ea)
Sancte Antoníne de Floréntia	ora pro eo (ea)
Sancta Catharína Senénsis	ora pro eo (ea)
Sancta Catharína de Ricci	ora pro eo (ea)

Sancte Ludovíce Bertrand	ora pro eo (ea)
Sancte Ioánnes de Colónia	ora pro eo (ea)
Sancte Martíne de Porres	ora pro eo (ea)
Sancta Rosa de Lima	ora pro eo (ea)
Sancte Guillélme Courtet	ora pro eo (ea)
Sancte Ioánnes Macías	ora pro eo (ea)
Beáte Iordáne de Saxónia	ora pro eo (ea)
Beáte Reginálde	ora pro eo (ea)
Beáte frater Angélice	ora pro eo (ea)
Sancti et sanctæ Dei	oráte pro eo (ea)
Christe, audi nos	Christe, exáudi nos

**B) ORATIONES COMMUNES ORDINIBUS  
QUI REGULAM SANCTI AUGUSTINI SEQUUNTUR<sup>37</sup>**

**Pro fratre**

Deus, qui spes et liberátio es nostra,  
in Fílio tuo mortem vicísti  
et in Spíritu Sancto reparásti vitam:  
fratrem nostrum **N.** in cæléstem súscipe mansiónem.

**Si sacerdos fuerit**

Tu qui eum novi Testaménti sacerdótem  
tuorúmque mysteriórum dispensatórem elegísti,  
nunc in sanctuárium cæli admíttere dignérис,  
ubi voci Christi, summi et ætérfni sacerdótis,  
vocem suam trepidánter coniúngat.

**Si sacerdos non fuerit**

Et quia Deus es ómnium vivéntium  
ei dona mansiónem cum Ábraham, Ísaac et Iacob,  
cum Vírgine María et sanctis frátribus nostris,  
ubi non erit mors neque luctus neque clamor  
neque dolor erit ultra.

---

<sup>37</sup> Cf. RSM, pp. 32-36.

Qui bonus es et hóminum amátor,  
 eum óculis misericórdiæ réspice  
 et rore remissiónis tuæ eius dele peccáta.  
 Qui es réquies et lumen,  
 fámulo tuo quiéta sábia atque pace,  
 fácie ad fáciem te vídeat, glória fruáatur immortáli.  
 Nobís vero tuum adhuc advéntum exspectántibus,  
 concéde propítius ut itínera mundi  
 de frátribus nostris percurrámus sollíciti  
 et óculis spe quidem mundátis  
 mortis límitem déniqe transgréssi  
 ad te perveniámus fidéles.  
 Tibi, qui Pater es et fons vitæ,  
 in Spíritu vivificánte,  
 per Christum mortis victórem  
 omnis honor et glória in sǽculórum.<sup>38</sup>

**R.** Amen.

### Pro moniali

Pater infinítæ bonitátis,  
 ad plenam communióñem dilectiónis tuæ  
 sorórem nostram **N.** admítte,  
 cuius corpus terræ commíttimus.  
 Ne respícias erróres  
 quibus per vicissítudines huius vitæ se implicávit,  
 sed memor esto horæ qua eam vocásti  
 ut inter fílias sancti Domínici  
 ad glóriam tuam solam se mancipáret.  
 Nunc ad limen pervénit lúminis:  
 cordis eius sitim infinítam exstíngue,  
 claustrí solitúdinem in collóquium amóris convérte,  
 abscónrita in fructus vitæ manifésta benígnus.  
 Spíritus igne mundáta,  
 fáciem Fílii tui contemplétur in ætérum,  
 quam elégit amóre indivíso.  
 Tibi, qui Pater es et fons vitæ,

---

<sup>38</sup> Cf. RSM, p. 32 sq.

in Spiritu vivificánte,  
per Christum mortis victórem  
omnis honor et glória in sǽculórum.<sup>39</sup>

R. Amen.

### Pro sorore ad vitam apostolicam dedita

Pater de cælis,  
in domum tui lúminis  
sorórem nostram N. admítte,  
cuius corpus terræ commíttimus.  
In gáudio, quásumus, éxeat óbviā tibi,  
propter quem viam caritatis élégit  
nec carne revelátam nec sanguine.  
Árdeat in fine lámpada  
quam fide vivificánte, spe vígili, caritáte sédula  
ut prudens virgo servávit accénsam.  
Coram te, Pater qui culpas oblíviceris,  
ópera caritatis eius quæcumque respléndeant,  
quibus scilicet púeros suscépit,  
infírmis solácium præbuit,  
pro iustitia laborávit  
et oppréssos in libertátem vindicávit,  
sed et calix aquæ manifestétur quem ipsa propter te dedit  
atque omne bonum abscónditum quod tu solus novísti.  
Ad te, Dómine, laudis ascéndat cánticum  
quod propter bona concínimus  
quibus sorórem nostram, Domíni filiam, ditásti.  
In Ecclésia tua et in Família nostra Dominicána  
lapis fuit vivus, in Christo confirmátus:  
fac ut per crucem mundáta et in Spíritu clarificáta  
in civitáte sancta lapis efficiátur pretiósus.  
Per Christum Dóminum nostrum.<sup>40</sup>

R. Amen.

---

<sup>39</sup> Cf. RSM, p. 34 sq.

<sup>40</sup> Cf. RSM, p. 35 sq.

### Pro laico vel laica, amicis communitatis

Pater infinítæ bonitátis,  
tibi commendámus fámulum tuum (fámulam tuam) N.,  
cuius corpus terræ commíttimus  
beátam novíssimi diéi resurrectióne exspectántes.  
Qui maior es corde hóminis  
eiúsque sensus motúsque  
ac desidérium lúminis et amóris non ignóras,  
culpas quas ipse (ipsa) commísit ne respícias,  
sed paschálem rénova candórem e baptísmo radiántem.  
Eum (Eam) in domum pacis tuæ admítte,  
ubi tu, Dómine, es réquies laboránti,  
plácidum respónsum interrogánti,  
tempéries æstuánti, aliméntum esuriénti,  
aqua sitiénti.  
Fac ut afféctus quos in corde servávit  
Spíritu transfigurátos resúmat,  
ópera quæ iuxta legem tuam fecit  
lætánter invéniat,  
iustítia gáudeat quam erga fratres excóluit.  
Útpote discípulus (discípula) Christi qui amicítiam sacrávit,  
ea sédula intentióne nobíscum ambulávit,  
ut diléctio quæ eum (eam) Famíliae Dominicánæ coniúnxit  
nunc communióne vígeat sempitérna  
in loco beatitúdinis ubi vívere ipsum est dilígere.  
Tibi, qui Pater es et fons vitæ,  
in Spíritu vivificánte,  
per Christum mortis victórem  
omnis honor et glória in sácula sæculórum.<sup>41</sup>

R. Amen.

---

<sup>41</sup> Cf. RSM, p. 36.

## C) SUPPLICATIONES LITANICÆ IN CŒMETERIO ADHIBENDÆ

Pro ultimis suffragiis in cœmitorio supplicatio litanica ut in Rituali Romano (OE, n. 202) adhiberi potest, vel alterum e formulariis sequentibus.

### 1

Súscipe, Dómine, ánimam servi tui (ancíllæ tuæ) N.  
ad te reverténtem,  
veste cælesti índue eam  
et lava eam in sancto fonte vitæ ætérnæ.  
Ut inter gaudéntes gáudeat. R. Amen.  
Ut inter sapiéntes sápiat. R. Amen.  
Ut inter patriárchas et prophétas profíciat. R. Amen.  
Ut inter apóstolos Christum sequáutur. R. Amen.  
Ut inter mártires coronátus (coronáta) incédat. R. Amen.  
Ut inter ángelos claritátem Dei vídeat. R. Amen.  
Ut inter vidéntes Deum fácie ad fáciem adspíciat. R. Amen.  
Ut inter audiéntes audítu cælesti cælestem sonum áudiatur. R. Amen.  
Per Christum Dóminum nostrum. R. Amen.<sup>42</sup>

### 2

In formulario sequenti responsones, altera adorationis altera supplicationis, si fieri potest cantentur.

### I

Crucifíxum Iesum Fílium Patris ætérni,  
de Spíitu Sancto concéptum, natum de Vírgine María,  
Verbum Dei ætérnum adorémus supplicántes:

R. Adorámus te.

Iesu crucifíxe, templum Dei sanctum,  
in quo bónitas et misericórdia Patris pro homínibus hábitant:

R. Adorámus te.

---

<sup>42</sup> Cf. *Ordo exseq. monast.* 1973, n. 30; GeV, n. 1611.

Iesu crucifíxe, iustítiae et amoris receptáculum,  
bonitáte plene, fons totius fidelitatis, omni laude dignissime:

**R.** *Adorámus te.*

Iesu crucifíxe, rex et centrum ómnium córdium,  
in quo sunt omnes thesáuri sapiéntiae et sciéntiae, in quo hábitat omnis  
plenitudo divinitatis, in quo Pater sibi complácuit:

**R.** *Adorámus te.*

## II

Christus resuscitátus, primogénitus ex mórtuis,  
pignus fidúciæ speíque nostræ, pro nobis ad Patrem interpéllat;  
deprecémur per eum qui est Dóminus vivéntium:

**R.** *Intercéde pro nobis.*

Christe, de cuius plenitúdine omnes nos accépimus,  
spes nostra ætérrna, pátiens et multæ misericórdiaæ,  
dives in omnes qui ínvocant te:

**R.** *Intercéde pro nobis.*

Christe, fons vitæ et sanctitatis,  
in aqua baptísmi fratres nostros (*soróres nostras*) abluísti,  
Córpore et Sanguine tuo enutrivísti:

**R.** *Intercéde pro eis.*

Christe, salus in te sperántium,  
spes abscondita ómnium hóminum,  
virtus liberatrix omnis creatúræ:

**R.** *Intercéde pro ómnibus hódie moriéntibus.*

[LHOP, p. 520]

**V**

**ORDO CANTUS MISSÆ  
ET AD ULTIMAM COMMENDATIONEM<sup>43</sup>**

1. FORMA SOLLEMNIOR

**ANTIPHONÆ AD INTROITUM**

- I Requiem (**GOP 114\***; **GR 669**)
- II De necessitatibus (**GOP 89**; **GR 84**)
- III Ego autem (**GOP 103**; **GR 94**)
- IV Intret (**GOP 91**; **GR 363**)
- V Si iniuitates (**GOP 347**; **GR 350**)
- VI Sicut oculi (**GOP 84**; **GR 77**)
- VII Verba mea (**GOP 119**; **GR 83**)

**GRADUALIA**

- I Requiem (**GOP 115\***; **GR 670**)
- II Convertete Domine (**GOP 296**; **GR 295**)
- III Lætatus sum (**GOP 122**; **GR 336**)
- IV Salvum fac servum (**GOP 90**; **GR 85**)
- V Si ambulem (**GOP 117\***; **GR 125**)
- VI Unam petii a Domino (**GOP 75**; **GR 358**)

**VERSUS ALLELUIATICI**

- I De profundis (**GOP 345**; **GR 367**)
- II In exitu (**GR 348**)
- III Lætatus sum (**GOP 5**; **GR 19**)
- IV Requiem (**GR 671**)
- V (**Pro sacerdotibus et religiosis:**)  
Ego vos elegi (**GR 429**)

---

<sup>43</sup> MLOP, pp. 465-467.

**TRACTUS**

- I Absolve Domine (GOP 116\*; GR 672)
- II De profundis (GOP 57; GR 673)
- III Qui seminant (GOP 23\*; GR 465)
- IV Sicut cervus (GOP 187; GR 190)

**ANTIPHONÆ AD OFFERTORIUM**

- I Domine Iesu (GOP 123\*; GR 674)
- II De profundis (GOP 352; GR 368)
- III Domine convertere (GOP 278; GR 283)
- IV Domine Deus salutis meæ (GOP 262; GR 87)
- V Illumina oculos meos (GOP 291; GR 290)
- VI Miserere mei, Domine (GOP 100; GR 92)
- VII Si ambulavero (GOP 339; GR 341)

**ANTIPHONÆ AD COMMUNIONEM**

- I Lux æterna (GOP 125\*; GR 676)
- II Amen dico vobis: quod uni (GR 79)
- III Domine, quinque talenta (GOP 39\*; GR 515)
- IV Domine, quis habitabit (GOP 115; GR 102)
- V Dominus regit me (GOP 134; GR 365)
- VI Illumina faciem tuam (GOP 59; GR 271)
- VII Notas mihi (GOP 117; GR 362)
- VIII Panis quem ego dedero (GOP 321; GR 322)
- IX Qui manducat carnem meam (GOP 324; GR 383)
- X Qui mihi ministrat, me sequatur (GOP 545; GR 484)

**AD ULTIMAM COMMENDATIONEM ET VALEDICTIONEM**

- I Ant. Clementissime Domine (MLOP 501)
- II R. Credo quod Redemptor meus (PS 245; GR 694)  
vel: Qui Lazarum resuscitasti (PS 246)
- III R. Subvenite (PS 191; GR 692)  
vel: Antequam nascerer (PS 193; GR 694)
- IV Ant. Alma Redemptoris Mater (PS 86)  
vel: Salve Regina (AG 133)  
vel: Salvatori mundi (AG 1012)  
vel. O spem miram (AG 879)
- V Litaniæ Sanctorum ad rem congruæ

## 2. FORMA SIMPLICIOR

### **ANTIPHONÆ AD INTROITUM**

- I Requiem æternam (**PS 271; GOP 114\*** - **Ps 64**)
- II Placebo Domino (**AG 1013** - **Ps 114**)
- III Heu mihi (**AG 1013** - **Ps 119**)
- IV Opera manuum (**AG 1014** - **Ps 137**)
- V Sana Domine (**PS 258** - **Ps 40**)

### **PSALMI RESPONSORII**

- I **Ps 22** - In loco pascuae (**PS 248**)
- II **Ps 24** - Deus meus (**AG 180**)
- III **Ps 26** - Credo videre (**PS 251**)
- IV **Ps 41** - Sitivit anima mea (**PS 259**)
- V **Ps 62** - Me suscepit (**PS 266**)
- VI **Ps 121** - Lætatus sum (**AG 166**)
- VII **Ps 129** - Si iniquitates (**PS 231**)
- VIII **Ps 142** - Miserere mihi (**AG 87**)

### **ANTIPHONÆ AD OFFERTORIUM**

- I Conversus est (**AG 1142** - **Cant. Is 12,1-6**)
- II Deus misereatur nostri (**AG 176** - **Ps 66**)
- III Multiplicasti Deus (**AG 220** - **Ps 35**)
- IV Suscepisti me, Domine (**AG 184** - **Ps 40**)

### **ANTIPHONÆ AD COMMUNIONEM**

- I Lux æterna (**GOP 125\***; **GR 676** - **Ps 129**)
- II Audivi vocem (**AG 1015** - **Ps 120**)
- III Exsultabunt (**AG 1016** - **Ps 50**)
- IV Exaudi Domine (**AG 1016** - **Ps 64**)
- V A porta inferi (**AG 1016** - **Cant. Is 38,10.20**)

**AD ULTIMAM COMMENDATIONEM ET VALEDICTIONEM**

- I Constantes estote (**AG** 318 - **Ps** 113 A)  
*vel:* Paratus esto Israel (**AG** 320 - **Ps** 113 A)
- II Liberavit Dominus (**OHS** 35 - **Ps** 50)
- III Ego autem (**AG** 319 - **Ps** 4)  
*vel:* In pace (**OHS** 211 - **Ps** 4)
- IV Credo videre (**OHS** 205 - **Ps** 26)
- V Hæc est Regina (**AG** 1057)  
*vel:* Beata Mater (**AG** 931)  
*vel:* Sancti Angeli (**AG** 965)
- VI Pie Pater (**AG** 885)  
*vel:* Magne Pater (**AG** 881)

## VI

**ANNIVERSARIA DEFUNCTORUM  
IN TOTO ORDINE CELEBRANDA  
ET OBITUS MAGISTRORUM ORDINIS<sup>1</sup>**

## IANUARIUS

- Die 6** Obitus S. Raymundi de Penyafort, quarti Magistri Ordinis (1275).
- Die 8** Ob. fratri Iosephi Mariæ Larroca, septuagesimiquarti Magistri Ordinis (1891).
- Die 18** Ob. fr. Barnabæ de Vercelli, decimiquinti Magistri Ordinis (1332).

## FEBRUARIUS

- Die 7** Ob. fr. Vincentii Ajello, septuagesimisecundi Magistri Ordinis (1854), et *Anniversarium patrum et matrum defunctorum*.
- Die 8** Ob. fr. Andreæ Frühwirth, septuagesimiquinti Magistri Ordinis, qui fuit Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis. E.<sup>2</sup> (1891).
- Die 13** Ob. B. Iordani de Saxonia, secundi Magistri Ordinis (1237); et fr. Aniceti Fernández, octogesimisecundi Magistri Ordinis (1981).
- Die 18** Ob. fr. Damiani Byrne, octogesimiquarti Magistri Ordinis (1996).
- Die 21** Ob. fr. Augustini Pipia, sexagesimiprimi Magistri Ordinis, qui fuit Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis. E. (1730).
- Die 23** Ob. fr. Ioannis de Moulins, vigesimi Magistri Ordinis, qui fuit Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis. (1353).
- Die 26** Ob. fr. Antonini Cloche, sexagesimi Magistri Ordinis (1720).

## MARTIUS

- Die 1** Ob. fr. Petri de Baume-les-Dames, decimoctavi Magistri Ordinis (1345).

---

<sup>1</sup> Computantur 84 Magistri, a S.P. Dominico (1221) ad Damianum Byrne (1996). Cf. *Breviarium iuxta ritum O.P.*, Romæ, 1962, pp. 69\*-72\*. Vide etiam: *Catalogus Hagiographicus O.P.*, ASOP 1988, pp. 180-183; I. Taurisano, *Hierarchia Ordinis Prædicatorum*, Romæ, 1916; *Analecta S.O.P.*, 1916, pp. 570-585.

<sup>2</sup> Littera E. Obitui apposita indicat Magistrum Ordinis qui episcopali dignitate fuerit insignitus.

- Die 3** Ob. fr. Stephani Usodimare, quadragesimisexti Magistri Ordinis (1557).
- Die 7** Ob. fr. Munionis de Zamora, septimi Magistri Ordinis. E. (1300).
- Die 9** Ob. fr. Francisci Fernandi Jabalot, sexagesimoctavi Magistri Ordinis (1834).
- Die 16** Ob. fr. Leonardi Dati, vigesimiquinti Magistri Ordinis (1425).
- Die 31** Ob. fr. Michaelis Browne, octogesimiprimi Magistri Ordinis, qui fuit Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis. E. (1971).

#### APRILIS

- Die 8** Ob. fr. Guarini de Gy-l'Évêque, deciminoni Magistri Ordinis (1348).
- Die 12** Ob. fr. Aimerici Giliani, duodecimi Magistri Ordinis (1327).
- Die 21** Ob. fr. Garsiae de Loaysa, trigesiminoni Magistri Ordinis, qui fuit Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis. E. (1546).

#### MAIUS

- Die 2** Ob. fr. Ludovici Theissling, septuagesimiseptimi Magistri Ordinis (1925).
- Die 6** Ob. fr. Ioannis Baptiste Marini, quinquagesimiseptimi Magistri Ordinis (1669).
- Die 16** Ob. fr. Petri Rochin, vigesimiseptimi Magistri Ordinis (1450).
- Die 25** Ob. fr. Nicolai Ridolfi, quinquagesimiquinti Magistri Ordinis (1650).

#### IUNIUS

- Die 7** Ob. fr. Simonis de Langres, vigesimiprimi Magistri Ordinis. E. (1384).
- Die 11** Ob. fr. Antonini Bremond, sexagesimitertii Magistri Ordinis (1755).
- Die 13** Ob. fr. Ioannis Thomæ de Roccaberti, quinquagesimoctavi Magistri Ordinis. E. (1699).
- Die 16** Ob. fr. Sixti Fabri, quinquagesimi Magistri Ordinis (1594).
- Die 20** Ob. fr. Eliæ Raymond, vigesimisecundi Magistri Ordinis (1389) et fr. Balthasaris de Quiñones, sexagesimiquinti Magistri Ordinis (1798).

**Die 25** Ob. fr. Leonardi Mansueti, trigesimiprimi Magistri Ordinis (1480).

**Die 30** Ob. fr. Emmanuelis Suárez, octogesimi Magistri Ordinis (1954).

### IULIUS

**Die 6** Ob. fr. Ioannis de Feynier, quadragesimisecundi Magistri Ordinis (1538).

**Die 7** Ob. B. Benedicti papæ undecimi seu Nicolai de Trivisio, noni Magistri Ordinis, qui fuit Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis. E. (1304).

**Die 9** Ob. fr. Thomæ Hyacinthi Cipolletti, septuagesimi Magistri Ordinis (1850).

**Die 14** Ob. fr. Humberti de Romans, Beati nuncupati, quinti Magistri Ordinis (1277) et fr. Vincentii de Couesnongle, octogesimitertii Magistri Ordinis (1992).

**Die 20** Ob. fr. Francisci Romeo, quadragesimiquinti Magistri Ordinis (1552).

**Die 27** Ob. fr. Gerardi de Daumar, decimiseptimi Magistri Ordinis, qui fuit Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis (1343).

**Die 29** Ob. fr. Barnabæ Sassoni, trigesimiquartii Magistri Ordinis (1486).

### AUGUSTUS

**Die 1** Ob. fr. Ioachim Torriani, trigesimiquinti Magistri Ordinis (1500).

**Die 3** Ob. fr. Hippolyti Mariæ Beccaria, quinquagesimiprimi Magistri Ordinis (1600).

**Die 4** Ob. fr. Bartholomæi Comazio, trigesimitertii Magistri Ordinis (1485).

**Die 6** Ob. S.P. DOMINICI, PRIMI MAGISTRI ORDINIS (1221).

**Die 7** Ob. fr. Thomæ Paccaroni, vigesimiquartii Magistri Ordinis (1414).

**Die 8** Ob. fr. Hugonis de Vaucemain, decimisexti Magistri Ordinis (1341).

**Die 9** Ob. fr. Hervæi de Nedellec, decimiquartii Magistri Ordinis (1323) et fr. Ioannis Clérée, trigesimiseptimi Magistri Ordinis (1507).

- Die 12** Ob. B. Bonaventuræ García de Paredes, septuagesimoctavi Magistri Ordinis (1936).
- Die 27** Ob. fr. Vincentii Bandelli, trigesimisexti Magistri Ordinis (1506).
- Die 28** Ob. fr. Alberti de Chiavari, decimi Magistri Ordinis (1300).
- Die 29** Ob. fr. Angeli Dominici Ancarani, septuagesimiprimi Magistri Ordinis (1847).
- Die 30** Ob. fr. Augustini Galamini, quinquagesimitertii Magistri Ordinis, qui fuit Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis. E. (1639).

### SEPTEMBER

- Die 1** Ob. fr. Berengarii de Landore, decimitertii Magistri Ordinis. E. (1330).
- Die 4** Ob. fr. Martini Stanislai Gillet, septuagesiminoni Magistri Ordinis. E. (1951).
- Die 5** *Anniversarium familiarium et benefactorum defunctorum Ordinis.*
- Die 9** Ob. fr. Thomæ de Vio Cajetani, trigesimoctavi Magistri Ordinis, qui fuit Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis. E. (1534).
- Die 12** Ob. fr. Hieronymi Xavierre, quinquagesimsecundi Magistri Ordinis, qui fuit Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis (1608).
- Die 15** Ob. fr. Salvi Cassetta, trigesimisecundi Magistri Ordinis (1483).
- Die 17** Ob. fr. Bernardi de Juzix, undecimi Magistri Ordinis (1303) et fr. Pauli Constabile, quadragesiminoni Magistri Ordinis (1582).
- Die 21** Ob. fr. Martialis Auribelli, vigesiminoni Magistri Ordinis (1473).
- Die 22** Ob. fr. Thomæ Ripoli, sexagesimisecundi Magistri Ordinis (1747).
- Die 24** Ob. fr. Francisci Silvestri, quadragesimi Magistri Ordinis (1528) et fr. Seraphini Secchi, quinquagesimiquarti Magistri Ordinis (1628).
- Die 27** Ob. fr. Mauriti Benedicti Olivier, sexagesiminoni Magistri Ordinis (1845).

### OCTOBER

- Die 5** Ob. B. Raymundi delle Vigne seu de Capua, vigesimitertii Magistri Ordinis (1399).
- Die 9** Ob. fr. Pauli Butigella, quadragesimiprimi Magistri Ordinis (1531).

**Die 15** Ob. fr. Bartholomæi Texier, vigesimisexti Magistri Ordinis (1449).

**Die 28** Ob. fr. Vincentii Giustiniani, quadragesimiseptimi Magistri Ordinis, qui fuit Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis (1582).

### NOVEMBER

**Die 4** Ob. fr. Ioannis Teutonici, Beati nuncupati, quarti Magistri Ordinis. E. (1252).

**Die 7** Ob. fr. Antonii de Monroy, quinquagesiminoni Magistri Ordinis. E. (1715).

**Die 8** *Anniversarium omnium fratrum et sororum defunctorum OP.*

**Die 16** Ob. fr. Alberti de Las Casas, quadragesimiquarti Magistri Ordinis (1544).

**Die 18** Ob. fr. Guidonis Flamochetti, vigesimoctavi Magistri Ordinis (1451).

**Die 21** Ob. fr. Stephani de Besançon, octavi Magistri Ordinis (1294) et fr. Seraphini Cavalli, quadragesimoctavi Magistri Ordinis (1578).

**Die 30** Ob. B. Ioannis de Vercelli, sexti Magistri Ordinis (1283).

### DECEMBER

**Die 1** Ob. fr. Thomæ Turco, quinquagesimisexti Magistri Ordinis (1649).

**Die 3** Ob. fr. Ioachim Briz, sexagesimiseptimi Magistri Ordinis. E. (1837).

**Die 11** Ob. fr. Alexandri Vincentii Jandel, septuagesimitertii Magistri Ordinis (1872).

**Die 15** Ob. fr. Conradi de Asti, trigesimi Magistri Ordinis (1470).

**Die 16** Ob. fr. Ioannis Thomæ de Boxadors, sexagesimiquarti Magistri Ordinis, qui fuit Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis (1780).

**Die 17** Ob. B. Hyacinthi Mariæ Cormier, septuagesimisexti Magistri Ordinis (1916).

**Die 20** Ob. fr. Augustini Recuperati, quadragesimitertii Magistri Ordinis (1540).

**Die 23** Ob. fr. Pii Iosephi Gaddi, sexagesimisexti Magistri Ordinis (1819).

## INDEX GENERALIS

Præfatio [fr. Caroli A. Azpiroz Costa] . . . . .	3
Litteræ promulgationis Magistri Ordinis [fr. Timothei Radcliffe] . . . . .	7
Abbreviationes et sigla . . . . .	13
Introductio generalis . . . . .	17

## ORDO EXSEQUIARUM

Caput I: DELATIO VEL RECEPTIO CORPORIS DEFUNCTI IN ECCLESIAM . . . . .	31
I. Delatio corporis ad ecclesiam . . . . .	32
II. Receptio corporis defuncti in conventum . . . . .	35
III. De mansione feretri in funerario . . . . .	38
Caput II: PRECES APUD DEFUNCTUM . . . . .	39
I. Preces simplices . . . . .	39
II. Liturgia Horarum vel celebratio verbi Dei . . . . .	40
III. De oratione quando corpus in feretrum deponitur . . . . .	41
Caput III: MISSA EXSEQUIARUM ET RITUS ULTIMÆ COMMENDATIONIS SEU VALEDICTIONIS . . . . .	45
I. Missæ pro defunctis atque Missa exsequiarum . . . . .	46
II. Ultima commendatio et valedictio . . . . .	47
Caput IV: DELATIO CORPORIS DEFUNCTI AD CŒMETERIUM ET SEPULTURA . . . . .	52
I. Processio et sepultura in cœmitorio . . . . .	53
II. Statio et preces apud sepulcrum . . . . .	61
Caput V: ALIÆ CELEBRATIONES PRO VARIIS ADIUNCTIS . . . . .	67
I. Ad defunctum deferendum a sacello cœmterii ad locum sepulturæ . . . . .	68

II. De crematione et de dono vitalium proprii corporis arti medicæ . . . . .	68
III. De exsequiis laicorum . . . . .	69
<b>Caput VI: SUFFRAGIA PRO DEFUNCTIS . . . . .</b>	<b>71</b>
I. Indicationes pro suffragiis celebrandis . . . . .	73
II. Processio vel celebratio in cœmeterio, die 2 novembris . .	75

## APPENDIX

<b>I. PRO LITURGIA HORARUM SEU VIGILIIS APUD DEFUNCTUM</b>	
a) Elementa pro Liturgia Horarum . . . . .	79
b) Pro celebratione verbi Dei vel Lucernario . . . . .	83
c) Elementa et indicationes pro aliis celebrationibus . . . . .	84
<b>II. ORATIONES VARIÆ</b>	
a) Orationes conclusivæ . . . . .	89
b) Orationes super psalmos . . . . .	92
<b>III. FORMULARIA PRO ORATIONE FIDELIUM . . . . .</b>	<b>99</b>
<b>IV. PRECES PRO ULTIMA COMMENDATIONE SEU VALEDICIONE</b>	
a) Litaniæ Sanctorum O.P. breves . . . . .	103
b) Orationes communes Ordinibus qui Regulam sancti	
c) Supplicationes litanicæ in cœmeterio adhibendæ . . . . .	108
<b>V. ORDO CANTUS MISSÆ ET AD ULTIMAM COMMENDATIONEM . . . . .</b>	<b>110</b>
<b>VI. ANNIVERSARIA DEFUNCTORUM ET OBITUS MAGISTRORUM ORDINIS .</b>	<b>114</b>



TYPIS VATICANIS